PROGRAMMA

VAN HET

GYMNASIUM

te Groningen,

VOOR HET JAAR

1889—1890,

waarbij gevoegd is eene verhandeling, getiteld:

JANI BROUKHUSII

Epistolae Selectae

aliarumque epitomae et fragmenta,

DOOR

DR. J. A. WORP,

Praeceptor aan het Gymnasium.

GRONINGEN. — 1889. — H. JACOBS.

Programma

VAN DE

Jaarlijksche Promotie en Prijsuitdeeling

ONDER DE

LEERLINGEN

VAN HET

GYMNASIUM

te Groningen,

TE HOUDEN OP ZATERDAG DEN 13 JULI 1889, DES

NAMIDDAGS TE TWEE UUR,

IN DE

Bovenzaal van het Concerthuis.

Alle voorstanders van wetenschap en letterkundige beschaving worden beleefd uitgenoodigd deze plechtigheid bij te wonen.

DOOR

J. L SIRKS,

Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct.

RECTOR VAN HET GYMNASIUM.

JANI BROUKHUSII

EPISTOLAE SELECTAE

ALIARUMQUE EPITOMAE ET FRAGMENTA.

Broekhuizen, Johan van

JANI BROUKHUSII

EPISTOLAE SELECTAE

aliarumque epitomae et fragmenta.

EDIDIT

DR. J. A. WORP,

Gymnasii Groningani Praeceptor.

GRONINGAE. — B. JACOBS. — 1889.

PRAEFATIO.

De Jani Broukhusii vita et scriptis multi viri docti disseruerunt. Ac primum quidem Petrus Burmannus, qui in Academia Traiectina historias et eloquentiam profitebatur, a. d. VII Kal. Febr. MDCCVIII laudes amici publica oratione celebravit [1]). Deinde alteri inter amicos poetae nostri maximam debemus gratiam, Davidi Hoogstratano dico, Scholae Amstelaedamensis olim prorectori, qui Broukhusii famam et apud aequales divulgavit et ad posteros tradidit. Nam non solum eius Poemata Latina collegit et edidit [2]), sed etiam carmina Belgica iterum prelo mandavit [3]) aucta atque ornata vitae enarratione satis accurata et copiosa. In libro quem Petrus Hofman Peerlkamp scripsit *De vita doctrina et facultate Nederlandorum qui carmina Latina composuerunt* [4])

[1]) *Petri Burmanni Oratio in obitum viri optimi, et poëtarum sui temporis principis Jani Broukhusii, defuncti a. d.* XVIII. *Kal. Januarias* MDCCVIII (vide: *Petri Burmanni Orationes, antea sparsim editae, et ineditis auctae. Accedit Carminum Appendix. Hagae Comitis, Apud P. G. van Balen.* M.DCC.LIX, pag. 158, sqq.

[2]) *Jani Broukhusii Poematum libri sedecim. Editore Davide Hoogstratano. Amstelaedami Excudit Franciscus Halma* . . . . MDCCXI.

[3]) *J. V. Broekhuizens Gedichten Op nieu by een vergadert, en met verscheide noit voorheen gedrukte vermeerdert. Hier is by gevoegt het Leven des Dichters. T'Amsterdam, By Gerard onder de Linden.* MDCCXII.

[4]) *Editio altera emendata et aucta. Harlemi apud Vincentium Loosjes.* MDCCCXXXVIII, pag. 455, sqq.

poëtae nostro paginas dedit nonnullas. Eodem fere tempore ac Peerlkampius Vir Doct. I. H. Hoeufft et multa Broukhusii carmina manu scripta collegit, et in libro cui titulus *Parnasvs Latino-Belgicvs* [1]) eius memoriam venusto epigrammate prosecutus est, dum abhinc paucos annos Vir Clar. H. E. Moltzer [2]) omnium, qui litteris Belgicis operam dant, animum atque oculos convertit ad Broukhusii poëmata vernacula et demonstravit ea inter optima illius temporis carmina Belgica esse habenda.

Apparet igitur Broukhusii memoriam hodie non tantum non prorsus interiisse, sed poëtae debitum honorem tribui. Et profecto vir ille qui excelluit in carminibus et Latinis et vernaculis componendis, qui cum numquam in Academia quadam otiose et quiete studiis se tradere potuerit, sed per magnam vitae partem in expeditionibus militaribus huc illuc iactatus sit, sermonis Latini tam peritus evasit et in litteris antiquis ita versatus fuit, ut Propertium et Tibullum edere potuerit, maxima laude dignus esse videtur, quem et Peerlkampius [3]) „poëtam fuisse fere perfectum" statuit, et Lucianus Mueller [4]) „Ba-

---

[1]) *Sive plerique e poetis Belgii Latinis, epigrammate atque adnotatione illustrati. Amst. et Bredae*, 1819, pag. 193:

„Brouchusi, pariter Musarum et Martis alumne,
Fortia facta canens, fortia facta gerens;
Stamina Parcarum si quisquam vincere dignus,
Stamina Parcarum vincere dignus eras,
Vt foret et numeros vatis qui redderet Vmbri,
Redderet Hooftiacae mascula èt orsa lyrae."

[2]) Cf. *Studiën en Schetsen van Nederlandsche Letterkunde. Haarlem. De Erven F. Bohn*, 1881, pag. 53, sqq.

[3]) L. l., pag. 456.

[4]) In Praefatione ad Tibullum, pag. XIV (vide: *Catulli Tibulli Propertii Carmina.... Lipsiae in aedibus Teubneri* MDCCCLXX).

tavorum sui temporis elegantissimum" inter Tibulli editores vocavit. Illius viri epistolas colligere, ut ex iis eius vitae cursum illustrarem, mihi proposui. Sed antequam de dispositione mei opusculi deque materia, quae mihi praesto fuit, verba facio, de Broukhusii vita pauca in memoriam revocabo.

Janus Broukhusius a. d. XX Nov. MDCXLIX natus est Amstelaedami [1]). Burmannus et illo auctore Hoogstratanus contendunt Jani proavos in Traiectinorum nobilium numero esse referendos [2]), sed cum pater poëtae, Gerardus Broukhusius, tenuem victum sibi quaesiverit pileis et fabricandis et venditandis, et „deinde in decuriam Scribarum collegii, quod res patriae nostrae maritimas" [3]) administravit, fuerit adlectus, Janus non multum curavisse putandus est, utrum nobili an obscuro loco natus esset [4]). Mater tamen Broukhusii, Eva Vos, gentibus Huddenae atque Witsiae, quae in urbe Amstelaedamensi principem locum diu tuebantur, erat affinis. Puer, ei patre erepto, a patruo Joanne Broukhusio [5]), in cuius tutelam venit, ludo traditus est, ut litterarum elementa disceret. Hadrianus Junius [6]), qui eo tempore

---

[1]) Vide: *Het leven van Joan van Broekhuizen*, pag. 8. Haec commentatio iuncta est editioni carminum Belgicorum. Broukhusius ipse diei natalis mentionem fecit in Epist. LXIV.

[2]) Broukhusiana gens nobilis sine dubio erat alia.

[3]) Cf. Burmanni *Orat.*, l.l., pag. 165. Burmannus significare videtur: Klerk bij de Commissarissen van zeezaken.

[4]) Vide *Elegiam ad Juliam* (*Poem.*, pag. 72):
„Etsi nec generis tibi me commendat aviti
Gloria, nec titulo fulta potente domus," caet.

[5]) Patruus ille eodem collegio erat adiunctus, sed tabulas accepti et expensi curabat.

[6]) Perpauca de Junii vita nota sunt. Fuit, ni fallor, ab anno 1635 ad 1670 Rector Scholae in nova parte urbis. Broukhusius carmen funebre in eum scripsit (cf. *Poem.*, pag. 498).

praeerat Gymnasio Amstelaedamensi, vir et eruditione praeclarus et rebus scholasticis deditus, pueri amorem litterarum excitavit, quo postea vitam valde laboriosam atque aerumnis plenam faciliorem et suaviorem reddidit. In Schola Amstelaedamensi Broukhusius cum Petro Francio contraxit amicitiam, quam semper coluit. Francius, paucis annis maior natu Broukhusio [1]), ut ille praestantissimi erat ingenii. Ambos pueros, cum animum ostenderent propensum ad poëtices studia Junius impulit ad illam ingenii facultatem excolendam. Francium ut Ovidium imitaretur monuit, Broukhusio vero Propertium exemplar proposuit.

Ac adolescentes consilia Junii magna cum utilitate secutos esse ex eorum carminibus manifeste apparet. Broukhusius in carminibus componendis mox ita excelluit, ut, cum pueri a Gymnasiarcha incitati poëmata scriberent ad celebrandum Valkenirium consulem creatum [2]), illi facile palma delata consuli carmen offerre contigerit. Sed patruus existimavit iam satis temporis Musis atque disciplinis datum esse et puerum victum sibi quaerere oportere. Tradidit igitur eum in disciplinam pharmocopolae et „castissimum hunc Apollinis sacerdotem olenti pharmacopolio et foetidae officinae alligare" [3])

---

[1]) Petrus Francius Amstelaedamensis natus est d. XIX Aug. a. 1645. Lugduni audivit Joan. Frid. Gronovium, a. 1669 Angliam atque Galliam lustravit. Andegaviae doctor iuris renuntiatus contulit se in Italiam, ubi cum multis viris doctis amicitias iunxit. Inde ab anno 1674 in Athenaeo Amstelaedamensi historiam Romanam et eloquentiam profitenti a. 1686 etiam linguae Graecae professio illi est demandata. Carminibus orationibusque magnam sui famam reliquit. Obiit die natali a. 1704.

[2]) Gillis Valkenier a. 1665 primum consul creatus est.

[3]) Cf. Burmanni *Orat.*, pag. 171.

conatus est. Hermannus tamen Angelkot[1]), qui Broukhusium docebat herbas legere et terere potionesque concoquere, erat vir non plane illiteratus. Tragoedias enim Gallicas nonnullas vertit et comoediam composuit. Broukhusius cum illo viro amicitiam iunxit, quam numquam deposuit[2]), nam Angelkottio plus quinquaginta annis post testamentum poëtae resignandum traditum est [3]). Janus tamen non diu arti pharmacopolarum operam dedit; deserta taberna sacramento se obligavit [4]) et Groningam missus est [5]). Studiosos nonnullos, qui militis elegans ingenium atque insignem memoriam admirabantur [6]), in illa urbe sibi conciliavit. Bello patriae nostrae indicto Broukhusius anno 1672 et obsidioni Groningae, qua Episcopus Monasteriensis et Elector

---

[1]) Habitavit in platea nomen ducente ab instrumento, quo pharmacopolae quotidie utuntur, nempe: Vijzelstraat. Obiit a. 1726.

[2]) Cf. Angelkotti carmen funebre in Broukhusium (*J. Van Broekhuizens Gedichten*, pag. 81).

[3]) Vide: *Het Leven*, pag. 31.

[4]) Videtur B. a. 1672 nomen dedisse militiae. In carmine enim, cui titulus; *Ad patruum suum. Fausta anni apprecatio* (cf.. *Poem.*, pag. 405) legimus:

„Decreram positis jam tandem vivere nugis,
Et damnosa levis frangere plectra lyrae;
Atque alias arte complecti sedulus artes,
Quaeque virum possint, quaeque decere senem."

Verba illa melius pertinent ad artem pharmacopolarum, quam ad res bellicas. Et carmen illud — ut apparet e libro manu scripto Broukhusii Carminum Iuvenilium, qui in Bibliotheca Lugdunensi servatur — compositum est Kal. Jan. a. 1672.

[5]) Cf. carmen: *Cum Groningam esset discessurus* (*Poem.*, pag. 415).

[6]) Cf. *Het Leven*, pag. 37, et carmina: *Ad Academiae Groninganae studiosos post desertam ab Episcopo Monasteriensi obsidionem anno* MDCLXXII (*Poem.*, pag. 418), et *In Gerardi ten Berg disputationem juridicam* (l.l., pag. 420).

Coloniae urbem cinxerunt, interfuit et expeditioni felicissimae ad Covordam, quod castellum a Monasteriensibus occupatum Rabenhaupt, dux praeclarus, expugnavit [1]). Vix primis stipendiis factis signifer fuit creatus et mirabili casu cum Nicolao Heinsio venit in familiaritatem. Heinsius [2]), qui saepius munere legati Ordinum Generalium, inprimis in Suecia, fungebatur, tum maxime post vitam fortunae vicissitudinum plenam otium atque quietem petiturus erat in oppidulo Viana. Illi Francius Broukhusii carmina nonnulla misit, addens ab amico quodam suo ea scripta esse; Heinsius tamen existimavit Francium ipsum esse auctorem [3]). Certior factus carmina ab alio esse composita, Heinsius Francii amicum

---

[1]) Vide carmen: *Ad Carolum Rabenhaupt, copiarum pedestrium legatum, ab expugnata Gravia Amstelaedamum reducem* (l.l., pag. 461).

[2]) Nicolaus Heinsius, Danielis filius, natus est Lugduni a. 1620. Visit Angliam, Galliam, Italiam, Sueciam, ubique investigavit codices manu scriptos iussu Christinae, Sueciae Reginae; edidit Ovidium, Vergilium, Valerium Flaccum, Silium Italicum, alios. Obiit Hagae Comitum a. 1681.

[3]) Scripsit Heinsius Francio d. XXX Julii a. 1673 (vide: *Petri Francii Posthuma. Quibus accedunt illustrium eruditorum ad eundem epistolae. Amstelaedami, Ex Officina Wetsteniana*, MDCCVI, pag. 339): „Venusti omnino et arguti sunt versiculi, quorum mihi copiam proxime faciebas. Adderem, te dignos mihi videri, nisi tu amicum nescio quem iis auctorem dares. Quamquam vel sic te tibi amicum esse, mi Franci, nil, puto, impedit. Ovum ovo mehercules similius non est, quam Petro Francio, elegantiarum promo felicissimo, amicus ille ὁ δεῖνα. Si tu me fraudatum cupis, aut parce impertiris ingenii tui Heliconiis proventibus; fac saltem amicus ille ignotus, qui te ad unguem exacte refert, nobis non infrequenter aurem demulceat in posterum. Uter e vobis vel Mercurius sit vel Sosia non refert, dum alternis audiam cantantes, vel alterutrum in altero."

sibi conciliatum voluit [1]). Anno 1676 Broukhusius saepius Heinsium Vianae visitavit [2]). Jam ante in Graevii [3]), professoris Traiectini, consuetudinem receptus esse videtur Broukhusius. Inde ab eo tempore iuveni cum viris illis illustribus commercium litterarum fuit.

Anno 1674 poëta interfuit infelici illi expeditioni navali archithalassi Ruteri ad insulas Matatinam et Dominicam. Erat in navi vectoria, cui nomen Iupiter, et vehementer nausea tentatus tamen in itinere multa composuit carmina [4]). Initio anni sequentis Broukhusius

---

[1]) D. XX Sextil. a. 1673 Heinsius scripsit ad Francium — epistolam, ni fallor, ineditam reperias in Bibliotheca Lugdunensi — : „Ad epigramma mihi per te missum, libet exclamare illud antiquum, quanta ingenia in occulto latent! Ejus ego te auctorem credidi, quia, qui hoc posset, te praeter unum apud Amstelaedamios notum habebam neminem. Nunc cum tua asseveres fide, alterius esse venae hunc lusum, gratulor tibi amicum tam felici ingenio praeditum, et mihi conciliatum volo."

[2]) Heinsius Graevio, d. XV Martii 1676 (vide: *Burmanni Syllogen Epistolarum a viris illustribus scriptarum*, IV, pag. 411): „Diem alterumque exemit mihi jucundissimis sermonibus noster *Francius*, adducto secum comite *Brouckhusio*, poëta non humillimi spiritus, si hominem forte nosti."

Mense Aprili rursus fuit Vianae (cf. *Syllogen*, pag. 419, et *Petri Francii Posthuma* pag. 341).

[3]) Joannes Georgius Graevius, a. 1632 natus Numburgi, litteris operam dedit Lipsiae, Daventriae, Lugduni. Anno 1656 professor eloquentiae creatus Teutoburgi a. 1658 Daventriam migravit, quatuor annis post Traiectum ad Rhenum, ubi eloquentiam et historias profitebatur. Erat vir et valde eruditus et comitate permagna insignis. Edidit Hesiodum, Ciceronem, Suetonium, Florum, Iustinum, collegit Thesauros Antiquitatum Romanarum, atque Antiquitatum et Historiae Italiae. Obiit a. 1703.

[4]) Indicantur illa in codice manu scripto laudato. Sunt carmina, quae leguntur in *Poem.*, pag. 452, 454, 457, 458, 297, 298, 199, 70, 460, 139.

fuit Amstelaedami, aestate vero in praesidio erat collocatus Mechliniae [1]). Vir igitur, qui nihil magis cupiebat quam totum se tradere litteris otioseque vivere, aetatem trivit in itineribus et belli periculis cum sociis, quibus res maxime disiunctae atque contrariae cordi erant. Erant tamen inter illos duo iuvenes, qui ut Broukhusius litteras praetulerunt gloriae militari, Henricus Haesius et David Bergius. Cum iis, qui in eadem legione stipendia merebant, poëta arctis amicitiae vinculis iunctus erat[2]). Bergius carmina nonnulla Latina scripsit[3]).

Satis apparet ex epistolis, qualis fuerit vita Broukhusii anno 1675 exacto. Inde ab anno 1682 Traiecti ad Rhenum habitavit. Utebatur illic Graevii consuetudine et familiaritatem contraxit cum Petro Burmanno [4]). Burmannus, minor natu Broukhusio, illam amicitiam semper coluit et postea in Academia Traiectina historiarum professor renuntiatus in consilium adhibebat militum praefectum, quotiescunque librum edere in animo habebat. Traiecti Broukhusius edidit versionem Latinam opusculi Gallico sermone scripti a Renato Rapino [5])

---

[1]) Apparet ex eodem codice manu scripto.

[2]) Vide *Poem.*, pag. 158, 162, 211, 307.

[3]) Cf. Peerlkamp, l. l., pag. 425.

[4]) Natus est Traiecti a. 1668. Audivit Graevium et doctor iuris est creatus. Inde ab anno 1696 historias atque eloquentiam profitebatur in urbe patria, a. 1715 migravit Lugdunum, ubi a. 1741 obiit. Permultos edidit auctores Latinos.

[5]) René Rapin (1621—1687), e societate Iesu, vir eruditissimus, et aliis libris edendis laudem sibi comparavit et inprimis carmine, cui titulus *Hortorum libri IV* (Lutetiae, 1665). Anno 1668 edidit: *Discours académique sur la comparaison entre Virgile et Homère.* Broukhusii libellus inscribitur: *Observationes in poëmata Homeri et Vergilii. E Gallico Latine redditae. Trajecti ad Rhenum, Apud Franciscum Halma* . . . . 1684.

et carmina sua Latina [1]). Postquam biennium Traiecti in praesidio fuit collocatus, anno 1684 Amstelaedamum migravit. Consules enim illius urbis commendatione viri illustrissimi Van Weede, qui praepositus erat legioni Broukhusii, et Ioannis Huddeni, Broukhusio affinis, permoti poëtam praefecerunt cohorti militum [2]). In urbe patria otii fuit illi tantum ut saepius litteris vacaverit, quamquam in munere multum temporis illi consumendum erat et nonnumquam periculum adeundum. Nam bis in tumultu quodam graviter vulneratus fuit [3]). Anno 1689 edidit Sannazarii Carmina [4]), a. 1696 Palearium [5]). Pace facta a. 1697 civitas Amstelaedamensis milites suos missos fecit et Broukhusius a munere vacavit annuis constitutis. Migravit in pagum Amstelveen ibique recedens a consuetudine multorum amicorum atque gravi morbo afflictus totum se dedit litteris. Illo tempore fere nullus alius illi fuit usus litterarum mutuus quam cum Petro Burmanno. Non

---

[1]) *Jani Broukhusii Carmina. Trajecti ad Rhenum, Apud Franciscum Halma*, ... 1684.

[2]) Vide *Het Leven*, pag. 20, et Notam ad Epist. XXXIII. B. Huddenum saepius carmine celebravit (cf. *Poem.*, pag. 6, 132, 134, 444).

[3]) Apparet e libello manu scripto in Archivo Amstelaedamensi, quem inspicere mihi licuit, Broukhusium vulneratum esse in tumultu qui ortus est mense Februario a. 1696. Et carmen, quod legimus in *Poem.*, pag. 272: *In tumultu quodam graviter vulneratus opem Chirurgi implorat*, scriptum est d. XXXI Aug. 1692.

[4]) Vide ad. Epist. LVI.

[5]) Cf. *Het Leven*, pag. 21.

Antonio della Paglia (Aeonius Palearius), Italus, carminibus orationibusque Latinis famam magnam sui reliquit. Iussu papae Pii V, ut videtur a. 1570, Romae necatus est, quod libellum scripserit redolentem heresiam. Broukhusius opera sparsa Palearii collegit et edidit *Amstelaedami, Apud Henricum Wetstenium* MDCXCVI.

tamen expers fuit controversiarum inter Perizonium et Gronovium, professores Lugdunenses, et Francium alioeque. Edidit Broukhusius a. 1702 Propertium, a. 1707 Tibullum et obiit d. XV Decemb. eius anni.

Brevi, spero, uberius agam de vita poëtae illustrissimi; haec sufficiant illi, qui hasce epistolas inspicere velit. Multae supersunt epistolae a Broukhusio scriptae et ad eum datae. Ex CCXXXV quas collegi epistolae Broukhusii et Burmanni facile seiungi possunt. Cum omnes litteras edere hoc opusculo mihi non liceret, epistolas poëtae et Professoris Traiectini alibi in lucem emittere conabor. Viris doctis, qui praesunt Bibliothecis, gratias ago quam maximas, quod mihi praebuerunt occasionem illas describendi atque edendi. Unus ex iis, Vir Doct. Tiele, paulo postquam mihi misit manu scripta, quibus in hoc meo libello conficiendo uterer, praematura morte litteris et Bibliothecae, quae Traiecti est, abreptus est et opera, quam mihi hac in re navavit, paene ultima fuit viri eruditissimi et humanissimi. Viri doct. Campbell et De Roever, qui praesunt Bibliothecae Regiae, quae est Hagae Comitum, et Archivo Amstelaedamensi, auxilium mihi tulerunt, cuius semper memor ero. Sed inprimis Tibi, Vir Doct. Du Rieu, gratum me esse par est. Non tantum enim mihi, ut saepius, maxima liberalitate thesauros, quibus praepositus es, reclusisti, sed cum semel apud Te dixi quam acriter cuperem epistolas e Bibliotheca Regia Hafniensi inspicere, ecce, Tua auctoritate et gratia arcessitae confestim mihi praesto fuerunt, tamquam res illae mirabiles in fabulis Arabicis. Utinam Tu, qui nuper festum diem tam memorabilem egisti, diu praesis

Bibliothecae Lugdunensi, quam humanitate atque doctrina illustras et illustrabis.

Pauca admodum dicam de ratione, qua epistolas edere institui. Indicavi semper, ubi litterae serventur, si excipias epistolas ad Almelovenium, quae sunt in Bibliotheca Traiectina, ad Hesselium in Archivo urbis Amstelaedamensis, ad Graevium, quas in Bibliotheca Regia Hafniensi, cui Vir Doct. Brunn praepositus est, reperias. Eas epistolas, quae sunt maioris momenti, totas prelo mandavi, aliarum fragmenta tantum aut epitomas trado. Ex iis litteris, quae ad Broukhusium datae sunt, paucae quaedam integrae prodeunt. Orthographiam epistolarum retinui, interpunctionem nonnumquam mutavi. In notis brevis esse laboravi, sed de omnibus viris, qui in epistolis commemorantur, pauca ascripsi, si de illis aliquid invenire potui. Inde multa sunt in notis, quae satis sunt cognita, sed difficile est decernere, quorum vita nota sit illustranda, qui non egeant. Viros doctos, quibus epistolae datae sunt, apud Te, benevole Lector, singulos introducam. De aliis non semper mihi libelli, quos „monographias" dicunt, praesto erant, et libenter agnosco mihi saepius praesidio fuisse ea lexica, in quibus de vita et scriptis virorum eruditorum agitur. Carmina Broukhusii manu scripta, quae in Bibliotheca Lugdunensi servantur [1]), magnos usus attulerunt ad res obscuras illustrandas.

---

[1]) Et carmina iuvenilia, de quibus ante sermo fuit, et alia a Hoogstratano edita, CLX numero; his fere omnibus tempus quo composita sint ascriptum est.

JANI BROUKHUSII EPISTOLAE.

1 [1]).

(Jano Broukhusio
Joannes Antonides Goesanus[2]).

Accepit epistolas et carmina Broukhusii et gratulatur ei spiritu poëtico. Poëmata enim sunt faceta et sententiis abundant. Amstelaedami, a.d. XXIX Mai 1673[3]).

---

[1]) Epistolam, quae est vernacule scripta, reperias in Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Jan Antheunisz, natus d. III Mai 1647 Goesae, ab urbe patria sibi sumpsit cognomen Van der Goes. Parentes migraverunt Amstelaedamum et puer discendi ludo, quem Gymnasium vocant, traditus est. Mox carmina composuit, quae omnium oculos animosque ad eum converterunt. Didericus Buysero, vir nobilis, qui ipse litteris operam dedit, omnem lapidem movit, ut iuvenis tanti ingenii eruditione atque doctrina excellere posset. Antonides Traiecti didicit medicinam et doctor renuntiatus est, deinde Roterodami habitavit. Anno 1678 Susannam Bormans uxorem duxit; obiit d. XVIII Septembris 1684. Eius carmina saepius sunt edita.

Broukhusius et Antonides sine dubio in Gymnasio Amstelaedamensi contraxerunt amicitiam, neque unquam se amare desierunt. Quod non tantum apparet ex hac epistola, sed etiam e carminibus quibusdam Broukhusii, quibus amicum alloquitur (vide: *Poem.*, pag. 422, 429).

De actione, quam vidua Antonidis Broukhusio intendit, postea videbimus.

[3]) Epistola Antonidis missa est ad pagum Vreeland. Illic B. composuit carmen: *Corydon Ecloga. Ad Joannem Sixium Reip. Amstelaedamensis Judicem* (*Poem.*, pag. 191), ut apparet e MS. supra laudato.

II.

Joanni Georgio Graevio
Joannes van Broekhuizen.

Maturius ad te literas dedissem, Vir clarissime, si non argumenti inopia retinuisset properantem animum. Dum enim indies scribendi materiam aucupor, certior experiundo factus sum, nihil hinc novi progredi, quod non apud vos obsoletum sit. Mire hic frigent omnia, et nos tanquam altissima pace indormimus otio nostro. Sparguntur quidem nescio qui rumusculi de contrahendis circa hanc dioecesin Germanorum Principum copiis, quibus accesssurae sint et nostrae legiones, sed quantum ego video, lentum erit negotium, et hactenus nihil movetur. De Philippoburgi obsidione[1]) omnia prospera speramus, nihil tamen habeo quod affirmem. Interea diu multumque circumspexi, si negotium abs te mihi datum potuissem expedire. Verum quod quis speret aliquod in hac urbe ab antiquis libris praesidium, frustra est. Canonici nullam bibliothecam communem habent, omnisque eorum industria versatur circa Gallorum elegantias. Puto, si quis de Cicerone quaerat, credent nomen esse peregrini piscis. Multum ruinarum hic videre est, eruditionis parum. Heri, cum essem in collegio Jesuitarum, excussi et bibliothecam, non magni sane pretii, et quâ locupletiorem multi in Hollandia privati possident. Nullos libros rarioris notae vidi, raros etiam bonae. Manuscriptos codices quosdam habent, sed missalia et Decretalia fere sunt. Est apud illos P. Jacobus

---

[1]) Philippoburgum mense Iunio a Duce Lotharingiae obsidione cinctum mense Septembri expugnatum est.

Masenius [1]), vir eruditus, et libris editis clarus, verum per negotia non erat nobis integrum hominem convenire. Credo profecto bonam olim elegantiarum supellectilem hic in promtu fuisse: tota autem urbis facies miserabilem in modum hoc belli turbine deturpata est, cives magna ex parte dilapsi, aedes sacrae aut disjectae aut expilatae, vix quicquam reliquum praeter cadaver priscae majestatis, et campos ubi Troja fuit [2]). Si commoda occasio dabitur, spero me adepturum non contemnendam copiam priscorum numismatum, quorum quotidie magna vis ex fundamentis novi operis ad Mosellam egeritur. Sunt vero, ne nescias, declinantis imperii reliquiae. Nudius tertius certiores facti sumus de morte Principis Electoris Caroli Caspari van der Leye [3]), magno suorum moerore extincti, cujus superbum monumentum in aede cathedrali non sine admiratione conspexi. Deus te, Vir clarissime, sospitem literis et nobis conservet. Tu vero, nisi grave est, saluta, rogo, communes amicos, quorum ego amorem omni ope et officio fovere nunquam desistam. Salutant te invicem Bergius [4])

---

[1]) Jacobus Masenius (1606—1681), e societate Jesu, edidit: *Palaestra eloquentiae ligatae. Coloniae*, 1654. Liber continet carmina Latina atque orationes.

[2]) Expugnaverant Galli d. VIII Septembris 1673 Augustam Trevirorum; urbem diripuerant magnumque tributum civibus imposuerant. Mense Augusto 1675 prope ad urbem Gallis clade illata Germani d. VI Septembris urbem, quam obsidione tenuerant, rursus occupaverunt.

[3]) Carl Caspar von der Leyen (Carolus Casparus à Petrâ), Archiepiscopus et Elector Trevirensis, d. XII Martii 1652 inauguratus, obiit Kal. Jun. 1676.

[4]) De Bergio vide supra.

signifer, et, qui nobis a sacris, D. Dop[1]), ecclesiastes in Blaeukapel.

Literas hasce inclusas precor ut ad Nobilis Heinsium deferendas cures.

Augustae Treverorum 4 Junii 1676[2]).

3[3]).

Nicolao Heinsio
Janus Broukhusius.

Continet epistola fere eadem ac illa, quae ad Graevium data est. Vetustum Vergilii exemplar inspicere non licuit. Sparguntur rumores de morte archithalassi Ruteri[4]).

Augustae Treverorum. 4 Junii 1676.

IV[5]).

Jano Brouckhusio
Nic. Heinsius.

Augustam Treverorum.

Ad Treveros te salvum pervenisse multum gaudeo; gaudeo et a temet ipso hunc tam auspicatum me

---

[1]) Theodorus Doppius a Broukhusio carmine celebratus est (cf. *Poem.*, pag. 123).

[2]) Mense Aprili B. Treviros erat profectus (cf. *Burmanni Syllogen*, IV, pag. 419).

[3]) Epistola est in Bibliotheca Traiectina. Graevius eam misit Heinsio. (Cf. *Syllogen*, l.l., pag. 435).

[4]) Interfectus est in proelio navali, quod d. XXII mensis Aprilis cum Gallis apud insulam Siciliam commisit.

[5]) Exemplar huius epistolae reperias in Bibliotheca Traiectina. Graevius eam misit Broukhusio (cf. *Syllogen*, l. l., pag. 436).

accepisse nuntium. Jacere in illo tractu literas et studia non miror, cum et ipse perlustravi non ita nuper vicinam Rheno Germaniae superioris partem, aeque incultam. Monasterium sive Abbatiam S. Amandi non longe ab ipsis Treverorum moenibus remotam scriptis codicibus haud contemnendis esse instructam videbar audivisse. Sed tibi id optime creditur, qui sedem in ipsa urbe nunc posuisti. Interim, dum cessant arma, dubitari vix potest, quin cum Musis haud raro colloquaris solitarius. Negligi certe illas abs te haud aequum est, quas tam benignas tamque propitias experiris. Ego si quid forte in rem tuam possim, me totum tibi addico, qui meritis tuis nihil non deberi a me agnosco. Hagae Comitum, XIV Jun. Gregor. CIƆIƆCLXXVI.

V.

Joanni Georgio Graevio
Broekhusius.

Maturius literis tuis respondissem, Vir Clarissime, nisi stetisset per nescio quas occupatiunculas, quae fere in eum diem inciderunt quo tabelliones proficisci solent. Spero tamen hujus tarditatis veniam a Te, qui non soles inexorabilis esse. Interea Tribunus me vexillo suae cohortis dignatus est [1]), cui et de filio nunciavi quae jusseras, et grata esse vidi. Credideram me aliquid habiturum quod scriberem Tibi de obsidione Trajecti [2]), sed mire hic vacillant nuncii, et puto omnia vobis compertiora esse, quamvis absitis longius. Philippobur-

[1]) Videtur B. significare sibi tum munus mandatum esse vicarii praefecti militis, quem „luitenant" vocant.

[2]) Princeps Auriacus mense Julio frustra Traiectum ad Mosam oppugnavit.

gum non putatur diu suffecturum violentae nostrorum oppugnationi, nisi pluvium hoc coelum et circumfusae paludes impediant pertinaces conatus. De nummis quod scripseram, illa spes decollavit. Nam et pauci reperti sunt, et gubernator noster Fariaux [1]) plerosque sibi conquiri jussit. Postea opus coeptum est ad alterum urbis latus, cui ego custodiendo aliquoties praefui, sed nihil illic repertum praeter antiqua rudera et fundamenta magnarum substructionum. Non sine dolore accepimus cladem a Gallis illatam classi nostrae [2]), sed erexit nos rursum Trompii celebris victoria [3]), si modo tanta est, quantam hic venditant. Nob. Heinsio prima occasione respondebo. Francio subirascor nonnihil, quod omnem mei memoriam ex animo delevisse videatur. Faciam ut sciat et me oblivisci posse. Salutant Te Bergius et Doppius, nec non Broekhusius, qui rogat ut amicos omnes suo nomine salutes, et Zypesteinium [4]) preceris, ne unquam a poësi quenquam laudet, quem commendatum volet nostro Tribuno. Vale, mi Graevi, et me amare perge. Augustae Trevirorum. 20 Julii 1676.

6.

Joanni Georgio Graevio Broekhusius.

Amstelaedamo non magis quicquam ad eum est missum, quam si in vivis non esset. „Apud nos alcedonia

[1]) De Fariaux, unus ex illustribus tribunis, qui in illis iniquis temporibus pro patria nostra propugnaverunt, a. 1673 praefuit Traiecto ad Mosam a Gallis oppugnato.

[2]) Kal. Jun. classes ordinum foederatorum et Hispanorum apud Panormum a Gallis profligatae sunt.

[3]) Trompius d. XI Julii Suecorum classi in Mari Baltico cladem intulit.

[4]) Evert van Sypesteyn (1637—1716) medicinam exercebat Traiecti, cuius urbis consul fuit.

sunt, nisi quod fervent praela et calcantur uvae, quarum uberrimam vindemiam hic autumnus dedit [1])."

Treviris, 7 Octob. 1676.

7.

Joanni Georgio Graevio
Joannes Van Broekhuisen.

Post varios casus et viarum discrimina fortuna eum in minus remoto loco collocavit. „Nobil. Heinsius monuerat me, non procul a muris (Trevirorum) esse S. Amandi monasterium multis manuscriptis nobile; illud vero Trevirorum nemo potuit mihi commonstrare. Nisi fallor, in Lotharingia istius nominis coenobium est, sed ab hoste insessum." Salutem Solingio [2]) et lectissimae viduae Hagenaer [3]).

In pago Kauhausen [4]). 14 Decemb. 1676.

8 [5]).

Jano Broukhusio
Joannes Georgius Graevius.

Broukhusii epistolas accepit, et gaudet eum Treviris relictis propius admotum esse. „Doleo Martem a Musarum castris te avocare, in quibus majore gloria militare posses." — „Sed sustine. Forte te manet scena digna tuis meritis. Amsterodami audio rude

[1]) B. composuit carmen: *In vindemiam anni* MDCCLXXVI. *Ad Bacchum* (cf. *Poem.*, pag. 484). Multa alia carmina scripsit Treviris, cf. *Poem*, pag. 35, 80, 91; *Gedichten*, pag. 1, 23, 31.

[2]) Henricus a Solingen medicinam exercebat in urbe patria Traiectina.

[3]) De vidua Hagenaer vide ad Epist. XVI.

[4]) In nullo lexico geographico nomen illius pagi repperi.

[5]) In Bibliotheca Lugdunensi.

donandum esse Slatium [1]). Hanc provinciam si non contemnis, cum amicis agendum erit." Francius laudes canet Ruteri [2]). Si Broukhusius carmina scribat, ea mittat. „Scin te fidem etiam mihi dedisse, cum discederes, te trajectiones, quas in Propertio observaveras, mihi perscripturum?"

Trajecti Batavorum, a. d. XII Febr. CIↃIↃCLXXVII.

9 [1]).

Jano Broukhusio
Petrus Francius.

Litteras et poemata Broukhusii accepit. „Carmen meum [3]) absolvi jam aliquot septimanas, quod jam ultra mille ac ducentos excrevit versus." Amputavit nonnullos, quos in recitatione omittet; manebit tamen numerus paene nongentorum. Uno post exequias die oratio habebitur. „Utinam una hic adfores, ut, antequam exeat, communicare tecum hunc meum laborem possem." — „Hoc promittere, nisi fallor, sine piaculo possum, non omnino jacere carmen, et quantum permisit materia, non plane a Virgiliano, si quid video, stylo esse alienum". . . . „Caeterum aliud est praecipuum, cur te hic desideramus imprimis. Nosti rem theatralem [4]), quae accidit nuper cum

[1]) Slatius praeceptor Gymnasii Amstelaedamensis fuisse videtur.

[2]) Francius d. XIX Martii 1677 in templi novi choro Epicedium versibus heroicis dixit Rutero (cf. *Francii Poëmata*, 1697, pag. 3—31).

[3]) Epicedium Rutero.

[4]) Inde ab anno 1672 ad 1677 in theatro Amstelaedamensi fabulas agere non licuit. Consules d. XXVIII Decembris 1677 illa lege sublata moderatores rerum theatralium creaverunt viros, quos Francius enumerat. Quae ille hic narrat sunt plane ignota neque memoriae tradita

hic esses. Idem hodie urgent. Si adesses, jam peractum tecum esset negotium. Inter comites, ut facile credis, est amicus noster, qui jam nunc eadem de re ad te literas mittit [1]). At miraberis reliquos! Divina, si potes.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit
Discussa nunc discordia est [2]).

Non potui subterfugere judicium consulum qui socios nobis adjunxere Pelsium [3]) ac Majerum [4]), quibuscum tamen probe nobis conveniet, quantum video. Placet uterque hactenus. Posterior, praeterquam quod linguae vernaculae, ac rei theatralis sciens admodum, videtur esse hilari ac candido animo, tum in judicando non nimis fastuosus et alterius patiens" .... „Reliqui sunt Papenbroekius [5]) et Matham. Boumeisteri [6]) delebitur nomen, et torvus ille sine dubio

Concidet, exanimisque tremens procumbet humi bos [7]).

Aeque enim suis, quod non putaram, ac nobis invisus est universis. Nihil ad pristinum morem revocandum, nisi Broekhusius, deesse videtur. Si sine ordine ac gradu militari fuisses, domum te revocassemus, sed nunc cum aliter se res habeat, videbatur id neutiquam fieri posse, ut certum

---

a C. N. Wybrands, *Het Amsterdamsche Tooneel van 1617—1772*, 1873.

1) Fortasse Joan Pluimer, qui carmina Belgica ac tragoedias edidit et postea praefuit Theatro Amstelaedamensi. Erat amicus Broukhusii (vide ad Epist XIX).

2) Imitatur Fr. Horatium, Epod. 4, vs. 1.

3) Andries Pels, Dr. Iur., poëta celeberrimus eius temporis.

4) Lodewijk Meijer, Med. Dr., tragoedias nonnullas composuit.

5) Pro Papenbroekio Tobias à Domselaar munus suscepit.

6) De Papenbroekio illo nihil memoriae traditum est; Jacob Matham et Jan Boumeester, Med. Doct., commemorantur tantummodo in libro laudato Viri Doct. Wybrands, pag. 230.

7) Verg. Aen., V, vs. 481.

pro incerto emolumentum desereres. Si tamen aut nunc, aut olim aliter censes, puto non invitis gratiis te ordini nostro accessurum" .... „Vale, fratercule, et me amare perge."

Tertio Kalend. Mart. CIↃIↃCLXXVII. Amstelodami.

X.

Joanni Georgio Graevio
Broekhusius.

Nihil mihi gratius accidere potuit literis tuis, quas crebriores urgerem, nisi te scirem utilioribus curis horas tuas debere. Quocirca facile ad cessationem istam conniveo (?), et si quid forte a te accipio, id omne in lucro deputo. Speraveram equidem me hanc hyemem cum jucundissimis amicis Amstelodami ac Trajecti exacturum fuisse, verum nullo modo discedendi licentiam impetrare potui, porro antem multo minus potero. Interea lusi non nihil per otium, (quod sane valde turbidum est; ultro enim citroque quotidie discurro ad conscribendos novos milites) idque Amstelodami apud Francium videbis. Mitterem et tibi, si tanti putarem ut oculos tuos moraretur. De Slatio quod scribis, ea conditio non displiceret, (jam enim, ut ingenue fatear, incipit me taedere hujus vitae), vereor autem ne repulsam feram, eo quod Graece nesciam. Tibi et Francio rem omnem committo, quibus scio mea omnia non minus cordi esse ac mihi. Trajectiones Propertianas notaveram ad oram codicis, qui si hic esset, possem transcribere quod petis; verum, ut puto, non sunt ejus ponderis ut non facile possis carere, cum praesertim priscam illam elegiarum distinctionem sequamini. Wilt-

hemius [1]) ubi foret, Treviris expiscari non potui, verum istic non erat. Rogo te, humanissime Graevi, si quid de ea re fiet seu feliciter seu secus, ut me cito certiorem facias, etiam si spe excidam, quod non adeo moleste possum ferre, cum habeam hactenus unde cum aliquo honore vivam. Vale clarissime et carissime Graevi, meque amare perge, et amicis communibus a me salutem nunciato. Ordingae [2]), Cal. Mart. 1677.

11.

Joanni Georgio Graevio Broekhusius.

„Diu me animi suspensum tenuit incerta ista et vagabunda peregrinatio, qua aliquot septimanas jactatus sum. Nunc etiam desidero literas Francii, quibus, ut opinor, significabit quid sit de praefectura theatrali expectandum, quam ille ex sui animi sententia confectum iri credebat" [3]). — Quo successu Francii dicentis conatus exceptus est? — „Utinam licuisset et mihi musicis istis deliciis arentem et languentem animum erigere ad spem simile aliquid praestandi! Jam enim (quod et te credere facile credo) me hujus vitae serio taedere incipit. Vagantur hic mali rumores de inauspicato nostrorum cum Gallis conflictu [4])." . . . .

Silvae Ducis, 17 April. 1677.

---

[1]) Ignoro hominem.

[2]) Urdingen pagus parvulus Limburgicus fuisse videtur. Hodie, credo, non exstat.

[3]) Videtur B. Francii epistolam non accepisse.

[4]) Galli copiis Principis Auriaci cladem intulerunt apud Mont-Kassel d. XI Aprilis.

12.

Joanni Georgio Graevio
Broekhusius.

. . . . . „impetravi a rustico meo pudore ut haec elegia (cujus argumentum non prorsus est de nihilo) benignitati tuae committeretur [1]). Cum recogito quam illa nihil habeat melioris venae aut priscae veneris, merito me piget incepti; quoties vero subit a me esse et ad te proficisci, non sinit me amicitiae nostrae conscientia de bono successu desperare. Judicium tuum data occasione expectabo." — Neque a Francio neque a Plumero litterarum quicquam vidit. — „Ingens desiderium me tenet ad vos trajiciendi, sed non puto id concessum iri a Tribuno, quem hic indies expectamus." . . . . .

Heusdae, 9 Maji 1677.

13 [2]).

Jano Broukhusio
G. Thomasius [3]).

Accepit Broukhusii epistolam et epigrammata Francii et Sladi [4]). Gratias agit. „Elegantissimum Tibi Epithalamium remitto non sine multa gratiarum actione."

Traj. ad Rhen. IV. Non. Sept. CIϽIϽCLXXVII.

---

1) *Ad Joannem Georgium Graevium* (*Poem.*, pag. 44).

2) In Bibliotheca Lugdunensi.

3) Godofredum Thomasium tantum scio medicum fuisse (cf. Broukhusii *Poem.*, pag. 254, 282).

4) Matthaeus Sladus (1628—1689), vir peritissimus linguae Graecae, qui Amstelaedami medicinam exercebat, vel Cornelius, qui munere Rectoris Gymnasii in eadem urbe functus est. In Bibliotheca Lugdunensi carmina servantur manu scripta utriusque fratris ad Broukhusium data.

XIV [1]).

Jano Brouckhusio
Nic. Heinsius.

Montes Hannoniae.

Montes illos Hannoniae, cubile Martis inclytum, nec quicquam Haemo Thracio pacatiores, unde nihil nisi barbarum atque ab omni humanitate alienum, ut sunt tempora, expectabam, Tu Brouckhusi elegantissime, in merum Parnassum, atque in delicatissimum Musarum nidum repente conversos nobis exhibuisti, datis inde ad me versibus [2]) omni ex parte tam venustis, tam politis, ut ne Momus quidem in iis carpendis quicquam deprehendat, nisi si vel unum fortassis quod mihi sunt inscripti, cujus vena per iniquitatem partim temporum, partim per molestum valetudinis diuturnae onus oppressa jampridem prorsus exaruit. Cave interim existimes ullo ab rege munus, lautum utcunque atque opulentum, perferri ad me potuisse, quod non longe infra splendorem tuae munificentiae collocandum putem. Quid enim fluxa illa et caduca non censeam, si cum tuis comparentur, qui ipsa immortalitate me donatum abs te agnosco. Det Deus, ut militia tua aliquando honorata defunctus in tranquillos Musarum sinus confugias, cumque *Francio* nostro ac *Graevio*, qui te in oculis ferunt, jucundos dies plusculos apud me in nido Vianensi exigas, futurus mihi hospes longe gratissimus. Certe prius antiquiusque nihil habeo, quam fortunas tuas videre compositas, ut bonis artibus lumen atque emolumentum ingens abs te accedat. Vale, et mihi velle perge, qui te merito tuo plus, quam credas facio. Hagae Comitum a. d. X. Novemb. CIϽIϽCLXXVII.

[1]) Exemplar huius epistolae est in Bibliotheca Traiectina.

[2]) Misit Broukhusius elegiam *Ad Nicolaum Heinsium* (vide: *Poem.*, pag. 40). Cf. *Syllogen*, l.l., pag. 503.

XV [1]).

Nicolao Heinsio
Janus Broekhusius.

Praeter expectationem evenit, Heinsi Nobilissime, quod versus meos militares et horridos tam prolixo favore excepisti. Et faveo sane laudibus meis: cur enim laudari refugiam a te viro laudatissimo? Unum illud me male habet, nihil a me tam magnifice dici posse, quod non sit longe infra tua in literas merita. Elegiam ad Celsissimum Principem Paderbornensem [2]) vidisse te gaudeo. Quid in ea mutandum censeas, monuit me noster Francius [3]). Et recte censes: quanquam (ut verum fatear) defectus iste subterfugerit oculos meos. Sed non adeo mirum hoc videri debet in homine tumultuario. Quam enim sit arduum inter tubas et tympana Musis vacare, ipsa me quotidie experientia docet. Utinam tandem aliquando Deus honestam pacem largiatur afflictissimae patriae, egoque ita fortunulas meas compositas habeam,

---

[1]) In Bibliotheca Traiectina.

[2]) B. carmen composuit: *Ad Reverendissimum Celsissimumque Principem Ferdinandum, Episcopum Paderbornensem ac Monasteriensem* (cf. *Poem.*, pag. 1).

Ferdinandus a Fuerstenberg (1626—1683), e gente nobili Germanica, anno 1661 episcopus Paderbornensis, anno 1678 episcopus Monasteriensis initiatus, Maecenas fuit virorum doctorum et poëtarum. Scripsit de historia Paderbornensi et carmina Latina edidit.

[3]) Heinsius annotavit ad epistolam Broukhusii: „Scripserat Francio Heinsius, primam in *acidulas* (?) productam et posteriorem in *Aether* correptam fuisse, praeterea in Alexandri Septimi musis laudandis nimium sibi visum *Brouckhusium*, quae vix supra mediocritatem exsurgerent, quod ipse Furstenbergius non diffitebatur. Dari quidem aliquid viventium auribus, sed mortuos, a quibus nihil gratiae speramus, invidiosis laudibus prosequi nullam utilitatem ferre."

Verba illa in carmine (ed. 1711) non leguntur.

ut literis et amicis meliorem operam dare possim! Interea dum omnibus votis eam expecto felicitatem, annitar quod possum ut vere literatis hominibus (quorum tu facile familiam ducis) placere me velle ostendam. Tu, Vir Nobilissime, ignosces juvenili quidem, sed non inhonestae ambitioni, qua tantum jam perfecisse mihi videor, ut non ultimum in amicitia tua locum obtineam, quam ego sane trecentis aliis praeferendam non immerito semper duxi. Vale, meum decus, et me, quod facis, favore ac amore tuo complecti perge.

Montibus Hannoniae. 3 Cal. Decemb. 1677.

XVI.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Elegiam quam nuper ad te misi, Vir clarissime, utrum acceperis, ignoro. Incluseram eam epistolae cuidam ad chirurgum Lochon, viduae Hagenariae [1]) fratrem, quae si in itinere non periit, vix est ut credam illum officio suo defuisse. En tibi nunc eclogam ad Dominum Servatium [2]). Quanquam non est ista felicitas mea, ut

[1]) Vidua Hagenaeria eadem est ac Charlotte Lochon, cuius carmen pervenustum invenimus in Broukhusii Carminibus Belgicis (pag 16). Vir Doct. S. Muller, qui praeest Archivo Traiectino, de illa muliere magno ingenio praedita maxima urbanitate comitateque me docuit haec. D. II Febr. 1664 Joannes Haegenaer, Amstelaedamensis, in matrimonium duxit Charlotte Lochon, Traiectinam. Mense Martio 1678 Hagenaeria vidua nupsit, ut videtur, Gerardo Grimoni (nomen viri non est ascriptum). D. XXIX Junii 1689 Charlotte Lochon, vidua Gerardi Grimonis, sepulta est Traiecti in publico sepulcrorum loco, quem antiquum dicunt.

[2]) *Hyella Ad Jacobum Servatium* (cf. *Poem.*, pag. 207). Jacobus Servaes, Amstelo-Batavus, anno 1659 in Academia Traiectina operam litteris dedit.

licuerit mihi in illius notitiam et gratiam insinuari, non tamen adducor ut credam ingratum fore hoc munusculum, tum ob elegantium studiorum amorem, tum propter animum dantis. Haud me latet quam longe absit hic lusus a Francii mei deliciis, verum si perpendas quam nullo hic secessu, quam turbulento et negotioso otio vivamus, facile (credo) veniam dabis intempestivo conatui, et si carmen ipsum non laudabis, animum certe scribentis minime reprehendes. Requiem et oblectationem ab his studiis peto, non famam. Novarum rerum hic nihil est, nisi quod ajunt Gandam a Gallis obsessam esse [1]), et spem pacis planissime interiisse. Quotidianis interea hostium excursionibus miserandum in modum divexantur hae provinciae, quibus vel praecipue pace opus erat. Utinam eam Deus tandem aliquando concedat exhausto Belgio! Sperabimus interim, et isto nos solatio sustentabimus. Vale, Vir clarissime, et Broukhusium tuum amare perge. Montibus Hannoniae, 9 Martii 1678.

17 [2]).

Jano Broukhusio
Joannes Georgius Graevius.

Gratias agit pro missis elegiis . . . „Velim aliquando ad Amplissimum Marsevenium [3]) Amstelodamensium Consulem elegidion aut alius generis carmen mittas, idque per Servaesium ei tradendum cures. Si in meas manus

---

[1]) Galli d. IX Martii Gandam expugnaverunt.
[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.
[3]) Joan Huydecoper van Maerseveen saepius fuit consul urbis Amstelaedami et multum valebat gratia apud Regem Christianissimum.

pervenerit, rècte perferetur ad utrumque. Nam is tibi favet, postquam ex nobis intellexit ingenii tui dotes. Vide ut praedices ejus inprimis elegantiam morum et prudentiam, qua ipsos Italos superet. Nam Italiam, in qua diu egit, vehementer admiratur. Ut et quod instar veterum Romanorum sapienter regat rempublicam, et agrum colat studiose. Nam in villa suburbana hortis, nemoribus, xystis exornanda multum ponit temporis subsicivi ipse, et in primis hoc studii genere delectatur. Ibi quoque sacros vates admittit et audit libenter". . .

Traj. ad Rhenum, a. d. III Idus Majas Julianas CIↃIↃCLXXVIII.

18.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Gaudet carmina sua Graevio placuisse. — „Gratias quoque debeo amori tuo, qui me ex turbulentissimo vitae genere in tranquillius aliquid atque elegantius reducere conatur. Equidem non inhoneste parmam possem ponere facta jam pace. Utinam respondeat modo votis nostris potentium amicorum favor!" . . . Carmen scribet ad Consulem Marsevenium. Ad Francium et Plumerum fasciculum misit cum quibusdam carminibus [1]), sed ab illis nihil audivit. „Ajunt hic pacem inter nostros et Gallos factam esse, iis cum Hispano et Germaniae principibus nondum convenisse, armistitium interim fore, ut commodius peragi possit quod restat." — Faxit Deus ut Te mox amplectar.

„Et leviter posita referens fera proelia mensa
Exiguo pingam castra virosque mero,

[1]) Vide ad. Epist. XIX.

Rorantes inter calices fumosque salubres.
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ero.
Sic Thetidis referunt lacrimosa ad Pergama natum
Omne malum dulci saepe levasse mero."

Montibus Hannoniae, 4 Junii 1678.

XIX.

Joanni Georgio Graevio Janus Broukhusius.

Morem gessi desiderio tuo, Vir Clarissime, habesque hic elegiam [1]) ad praescriptum tuum edolatam, quantum quidem facere potui. Crevit illa sub manu et longior facta est quam vellem: id tamen non spero ei obfuturum, modo perspicias consilii mei rationem. Tuum erit, mi Graevi, videre num sic satis sibi constet, et digna sit quae amplissimo Consuli offeratur. Si quid mutandum censebis, (tuo enim judicio rem omnem committo) fac, amabo, ut siam. Adjunxi epigramma ad Servatium [2]), quod mihi quidem (ut et ipse mihi blandiar) non pessimum videtur. Centies credo relegi postremas tuas literas, et relego etiamnum quotidie: nec tantum me laudes meae (quas tibi amor suggessit, non judicium) delectant, quantum spes illa quam facis mutandae aliquando in melius conditionis. Vt vero fatear, taedet me et diu taeduit hujus vitae, ubi nec bonorum ulla ratio, nec honestis artibus ullus locus est. Pudet dicere quae via sit enitendi ad aliquem dignitatis gradum. Sed quid faciam? Urget me atque impedit, quo minus militiae valedicam, imperiosa paupertas, quae quidvis et facere et pati jubet.

---

[1]) Carmen periisse videtur. *Elegia ad Villam Marseveniam*, quae legitur in *Poem.*, pag. 21, scripta est d. XIV Aug. 1689.

[2]) Illud epigramma non legitur in *Poem.*

Illa dies utinam felicibus advolet alis,
  Qua Clarii dicar pars quotacunque chori.
Armaque suspendens Marti votiva Batavo
  Suspendam ex humeris plectra lyramque meis.
Et me Castalio lustratum Phoebus in antro
  Ipse Philetaeum ducat ad usque nemus.
Adsitis Divi. Pluris mihi lectus et umbra,
  Quaeque premat nitidas laurus odora comas,
Quam longis titulis et opimo vivere censu,
  Nec mihi nec Musis posse vacare meis.
Credis et hoc, Graevi? malim sub paupere tecto
  Otia divitiis anteferenda sequi,
Dum modo sint mecum Charites et amicus Apollo,
  Hostica quam ad nostros signa videre pedes.
Imperio exsultent alii. Felicior ille est
  Qui sapit, et magno plus habet imperio.

Sed jam sententias loquor. Manum potius de tabula. Francius et Plumerus quid faciant scire perlubenter velim. Diemne suum obierunt, an vero ejurarunt amicitiam meam? Jam paene quatuor sunt menses, postquam nihil literarum ab illis vidi: scripsi nihilominus vel decies interea, misi et grandem vernaculorum carminum fasciculum [1]). Nec possum suspicari tot meas epistolas periisse, nec unam aut alteram saltem Amstelodamum salvam pervenisse. Ea res non potest dici quantum me angat;

[1]) Illa carmina periisse videntur. Anno 1677 Amstelaedami libellus fuit editus, cui titulus: *Gedichten Van J. v. Broekhuizen en J. Pluimer.* Liber ille, dicatus a Plumero Theodoro Buysero, continet carmina Broukhusii, quae legimus in editione altera poëmatum vernaculorum (1712), pag. 1—35. Et fere omnia carmina Belgica, quae a. 1712 primum sunt edita, anno 1680 et postea scripta sunt.

Buysero etiam a Broukhusio est celebratus (cf. *Poem.*, pag. 52).

quicquid enim cruciatuum in amore experiuntur alii, id ego fere in amicitia. Vtinam simile quiddam et ipsi sentiant! Omnia hic ad pacem vergunt, cujus negotium ajunt ad umbilicum adductum esse. Nostri tamen cives nescio quid timoris alunt et suspicionis, sive quod gaudii magnitudinem non capiunt, sive quod metuunt ne ab hac pace excludantur Hispani: audiunt enim nec Caesarem nec foederatos Principes hactenus adsensisse. Interea Gallorum exercitus dimidiae horae spatio ab urbe castra posuit [1]): sed plus quietis nunc nobis conceditur quam ante duas septimanas, cum quotidie levibus excursiunculis manus essent conserendae. Valde metuo ne legio nostra praesidium habitura sit Trajecti ad Mosam; mallem Trajecti ad Rhenum, ut vicinior tibi essem, mi Graevi, et amicis reliquis, atque etiam amicabus, quod pace Prisciani dixerim. Vale, Vir clarissime, et me amare perge, meoque nomine salutem nuncia communibus amicis, Servatio inprimis, atque optimo Heinsio.

Montibus Hannoniae. 20 Junii A°. 1678.

XX.

Joanni Georgio Graevio
J. Broukhusius.

Valde sollicitus sum utrum elegiam ad Consulem Marsevenium, quam nuper misi, acceperis, mi Graevi. Cum rediret huc nostra tabellaria, sperabam non nihil a te literarum, sed fortasse per negotia tua, quibus scio quam moleste distinearis, nondum vacavit ut responderes. Suspensi hic sumus incertissimis de pace deque bello rumoribus, et quotidianis excursiunculis aut impressiunculis praeludimus futurae,

---

[1]) Dux Luciliburgi urbem mox obsessione cinxit.

ut ajunt, obsidioni. Alii ita censent. Alii rejiciunt quicquid rumorum de continuando bello affertur. Istis ego faveo, nec pudet. Et ut aperte declarem quo animo sim erga pacem, hymnum meditatus sum non omnino poenitendum in jucundissimam istam Deàm [1]), eumque Hoofdio dedicavi Amstelodamensium Consuli [2]). Sed non mittam, antequam explorato constet quid debeamus expectare de hac turbulenta tempestate. Vt verum fatear, misissem dudum ad Francium, (qui est ex agnatis consulis Hoofdii, et sua commendatione pondus addere potuisset nugis meis) sed ignoro utrum adhuc in vivis moretur. Jam quatuor menses sunt, et quod excurrit, postquam nihil literarum Amstelodamo vidi. Per genium tuum, mi Graevi, fac, si fieri potest, ex te sciam utrum nihil epistolarum mearum ille acceperit, et quid causae sit cur me tam contemtim negligat. Fateor mollitiem meam, impar sum huic dolori. Tu credo non committes ut simile quid de te querendum habeam. Atque ea me spe sustentabo, dum rescribas quae fortuna elegiam meam exceperit. Vale Vir Clarissime, et me amare perge, qui te plus quam oculos meos.

Montibus Hannoniae. 16 Julii 1678.

XXI.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Jam aliquot menses sunt, Clarissime Graevi, postquam Montibus elegiam ad te misi, quam consilio tuo ad Marsevenium scripseram. Scribebat autem mihi Francius tum temporis te in Saxoniam profectum esse, et fortasse ob eam causam non potuisse eam tradi Mar-

---

[1]) *Hymnus in Pacem* (cf. *Poem.*, pag. 147).
[2]) Henricus Hooft saepius fuit Amstelaedamensium consul.

sevenio. Misi postea eam ipsam ad Francium; neque is tradidit. Credit enim (quod inter nos pereat) parum spei repositum esse in Marsevenio, quod mihi contra videtur quotiescunque mecum reputo quam multa cum laude de eo praedicaveris. Mitto nunc elegiam, quam precor ut ad Cl. Heinsium transferri cures; intellexi enim ex Francii nostri literis ipsum esse Vianae. Vtinam et ego illic essem! Haberem saltem occasionem ridendi tecum insulsum vulgus, loquendi tecum de communibus studiis, proficiendi quotidie ex doctissimis sermonibus tuis. Nunc mihi senescendum erit, quantum video, inter ignobilem turbam, nec quicquam proderit habere ingenuum et erectum animum, quoniam deest facultas exercendi vires meas, nec aspirat unquam Fortuna. Ferendum erit quicquid mutari non potest. Haec olim quoque rerum conditio fuit, quae obtinet hodie, ut ad immeritissimos deferrentur ut plurimum honores. Quare nihil est quod de mea fortuna querar, in tanta praesertim infelicium turba. Vnum me male habet, et omnem mentis tranquillitatem venenat, quod non liceat extra molestias insani vulgi aetatem degere. Illud si contingat, nihil est quod votis addam. Annitere, mi Graevi, et viam ostende qua me quoque possim tollere humo:

Non tibi dedecori mea Musa futura est,
  Nec male nos gratos arguet ulla dies.
Tu mihi felicem dabis in nova carmina venam,
  Ingenio solus tu potiere meo.
Surget, et auspiciis felicibus ibit in auras
  Pressa veternoso Calliopea situ.
Quaeque parum firmis pedibus nunc repit, et audet
  Vix se Pieriis annumerare choris,
Judicio sustenta tuo, sustenta favore,
  Pierio comtum tollet honore caput.

Sed jam nugarum satis. Vale Graevi carissime, et me amare perge, qui te amare nunquam desinam. Trajecti ad Mosam. 11 Aprili 1679.

XXII [1]).

Jano Brouckhusio suo Nicolaus Heinsius.

Jamdudum expertus valetudinem pessime adfectam, rerum tamen tuarum, mi Brouckhusi, curam adeo omnem non proieci, ut Graevium interea nostrum aliosque ex amicis haud infrequenter ad me visentes identidem sim percunctatus, quo loco fortunae iam essent tuae, quid molireris ipse. Cumque de te id unum creparent, versari assidue inter cataphractos, et in castris armatum excubare, ibi ego in animum crebro revocare poetae tui illa: *Tenero quid fiet amori* [2])*?* At tu hoc ipso quoque veteres illos aemularis, quod et amas, secutus utcumque castra, et, quando fortuna patriae nostrae parum aequa non praebet argumentum bellis multum decantandis, alia, in quibus feliciter exerceas ingenium, invenisti. Nihil elegantius certe concinnari poterat ijs versibus, quos diebus proximis, sed serius aliquanto quam oportebat, a te sum nactus: adeo quidem, ut suavitatem illam leporemque, qui mirificus in scriptis veterum renidet, e popularibus nostris unus praecipue videaris assecutus. Verum pluribus te in os laudare, nec huius est loci, nec mei propositi, qui quam tenera sis fronte haud ignoro. Reponi hic vides ver-

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi. Exemplar huius epistolae reperias in Bibliotheca Traiectina.

[2]) Tib., II, 6, vs. 1.

siculos meos [1]), non paria cum tuis facturos, sed subverebar, ne parum ex decoro ἀσύμβολος te convenirem, tam exquisitis lautitijs provocatus. Dedicationem complectuntur Maronis mei, quem diu est, quod Regi Christianissimo destinabam offerendum, sed inopportunus belli nuperi interventus officium procrastinavit. Misissem libellum ipsum, si quod eius exemplar in promtu foret, quamquam nihil attinebat hisce frivolis tabellarios onerare. Te vero, vir ingeniosissime, utinam aliquando ingratis militiae oneribus exsolutum videamus, ac voti tranquillioris compotem! Vale, meque, quod supra meritum meum hactenus fecisti, perge adamare.

Vianae ad Leccam $\frac{\text{XIV}}{\text{XXIV}}$. May. CIƆIƆCLXXIX.

XXIII [2]).

Nicolao Heinsio
Janus Broukhusius.

Misit ad me proximis diebus Francius noster literas tuas, Vir Clarissime, una cum dedicatione Maronis, quam ego quidem ita admiror, ut nihil supra. Equidem ne in assentationis suspicionem incurram, pluribus mentem meam explicare supersedebo: unum modo illud dixerim, par esse munus tanto Regi. Maronem ipsum mittet mihi Francius, et vellem jam misisset. Mirifice enim delectatus sum semper lectione illius poëtae; quam voluptatem, ut auguror, supra expectationem augebunt tuae istae lucubrationes. Utinam, mi Heinsi, animum aliquando adjicias ad amorum Triumviros nitori suo restituendos, ornandamque de novo Calabri vatis lyram! Omnis enim veterum manus, etiam minorum gentium

[1]) Adiectum est carmen, quo librum suum dedicat. Editio Vergilii a Heinsio curata prodiit a. 1676; dedicatio tamen anni 1679 esse videtur.
[2]) In Bibliotheca Traiectina.

Dii, cum salutem tibi debeant, quid est cur miselli isti destituantur tam salutari dextera?

Non sunt indecores Latio, nec vestra feretur
Fama levis, tantive abolescet gloria facti [1]).

De versibus meis quod tam benigniter sentias, amplector potius amorem tuum, quam judicium examino. Daret Deus honestum modo otium, non ambigo quin aliquando ea procuderem, quae si non laudem publicam, tuum certe et eruditorum applausum possent mereri. Nunc vero adeo distringor sordentibus curis, ut vix respicere vacet ad carissimas olim artes: cui malo accedit frontis meae infirmitas: pudet enim conspici tam nullo cultu. Atque haec duo ita me a scriptione deterrent, ut videar mihi vix unquam Musis litasse. Cogar, ut video, aetatem in turba delitescere, nisi potentium amicorum benignitas me ab hoc desultorio vitae genere liberare contendat. Hactenus quidem omnem lapidem movi, nec quicquam promovi: nunc facta pace, cum honeste ab armis discedere liceret, videamus num meminerint mei, qui aureos montes quondam solebant promittere. Annitere tu quoque, Vir Clarissime, et, si mereri videor amare me perge Trajecti ad Mosam. 28 Julii 1679.

Cum valetudine spero te jam in gratiam rediisse. Deus te diu sospitem et salvum velit, mi Heinsi, meo reique literariae bono, cui restituendae natus es.

---

[1]) Verg. Aen., XII, vs. 231.

24.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Nescit quid factum sit de carmine ad Marsevenium. ... „Nihil tamen me piget sterilibus Musis litasse, cum sciam inde esse amicitiae nostrae ortum, inde incrementum. Et dabit fortasse Deus tranquillioris otii spem aliquam certiorem per has ipsas Musas; modo tu, mi Graevi, annitaris cum Heinsio nostro. Quod quidem quam lubenti animo facturi sitis, non ignoro. Et sane quantulum est illud, unctius aliquod munus deferre homini non plane immerenti, cum quotidie tot alii promoveantur qui mecum nec literis nec rerum usu conferri possunt? Sed haec inter nos pereant." . . . .

Trajecti ad Mosam, 8 Augusti 1679.

XXV [1]).

Cl. V. Nicolao Heinsio
S. P. D.

Quinque jam dies sunt, Vir Clarissime, postquam singulari certamine pugnavi, et adversarium meum interfeci [2]). Ingens infortunium: sed quod nemo miles alienum a se putare debet. Narrarem singula distinctius,

[1]) In Bibliotheca Traiectina.

[2]) Maximi momenti est haec epistola Broukhusii. De re ipsa in Archivo urbis Traiecti ad Mosam nihil potuit inveniri, sed in epistolis Graevii ad Heinsium aliquid memoriae traditum est. Graevius scribit Heinsio Kal. Sept. Jul. (i. e., ni fallor, X Sept. st. n.): „Verum alias inveni litteras, quae magnum mihi dolorem attulerunt. *Francius* narrat *Broeckhusium* nostrum provocatum ab alio sui ordinis homine manus cum illo conseruisse, et tristi ac

nisi vererer aures tuas onerare odiosa commemoratione meae calamitatis. Nunc exul sum, et omni dignitate excidi. Quid me tandem fiet, mi Heinsi, mi Pater? Unica mihi spes relicta est in tua bonitate; quae quam fuerit semper in me propensa, non semel sum expertus.

---

ferali victoria hostem suum confecisse, ut coactus fuerit solum vertere, ac Leodici fuga salutem quaerere. Nunc rogat *Francius*, ut quicquid opis et praesidii ab amicis nostris proficisci possit, id ad elegantissimi ingenii hominem servandum conferamus Coactus descendit in hunc funestum campum, ut ajunt, idque certis documentis se ostensurum contendunt. Constituit, donec haec tempestas detonuerit, in Westphalorum terras se recondere. Tu quid censeas rogo, ut ad me perscribas" (vide: *Burmanni Syllogen*, IV, pag. 613).

Et paucis diebus post, X Sept. Jul., ad eundem (l.l., pag. 616): „*Broeckhusii* nostri res audio non optimo loco esse, nec posse servari nisi indulgentia Serenissimi Principis Arausionensis. Nam quamvis invitus et coactus conseruerit manus, cum secundas ageret partes, et diu digladationem hanc detrectaret, quoniam tamen singularia certamina sunt severissimis interdictis prohibita, et duo in hac pugna occubuerunt, tertius quoque, cui noster officium praestitit, gravibus vulneribus confectus vix mortem effugere possit, et ipse *Broeckhusius* saucius aegre vitam expedierit, judicum calculo, nisi gratia Principis intercesserit, damnabitur capitis. Tu cogita, quaeso, qua ratione ingenii elegantissimi homo possit servari."

Heinsius non respondit. In eius ad Graevium epistolis ineditis, quae in Bibliotheca Lugdunensi servantur, nihil hac de re invenire potui, et Graevius rursus scribit d. XXV Sept. st. v. (l.l., pag. 619): „*Broeckhusii* miseri rogo memineris."

Heinsius tamen omnem operam dedisse videtur, ut auxilio veniret amico, et Broukhusius mense Februario a. 1680 Traiectum ad Mosam rediit, ut docet nos Francii epistola ad Heinsium inedita (in Bibliotheca Traiectina). Francius enim scribit d. XXVI Febr.: „De Broukhusii nostri negotio decisum esse audio, ipsumque jam Trajecti ad Mosam esse, cujus ego tibi nomine inter alios gratias, quas par est, habeo, ipso easdem plenius atque uberius habituro."

De alio Broukhusii fautore vide Ep. XXVI.

Nullum mihi consilium superest, nisi ut me tradam in tutelam Principis Monasteriensis. Et quoniam scio quam arcta semper inter vos intercesserit necessitudo, unice illud te obtestor et precor, ut clementiae ipsius commendes miserum hominem, qui nec unde vivat habet, nec quo profugiat. Utatur Princeps opera mea ubicunque visum fuerit: experietur gratum et gnavum animum. Non dubito, si mihi hanc operam velis gratificari, quin me illustrissimus Princeps bono animo sit suscepturus: et fiet interea aliquid. Precor te, obtestor te, mi Pater, miserere animi non digna ferentis. Succurre miseriis meis, unde sine tuo auxilio emergere nunquam potero. Quod peccavi (ut militariter loquar) honeste peccatum est: feci denique provocatus, et hominem occidi qui missionem pugnae nolebat sine alterutrius morte. In eam rem adsunt testimonia. Fac quod poteris, mi Pater, et amare ac protegere perge Broukhusium tuum.

Coloniae Ubiorum. 8 Septemb. 1679.

Vellem literas ad Principem mitteres Francio nostro, qui eas porro huc ferendas curabit. Videtur enim commodius fore si commendatitias vestras ego ipse tradam.

XXVI.

Joanni Georgio Graevio
J. Van Broekhuizen.

Etsi non ignoro, Graevi Clarissime, quam multis et gravibus negotiis distinearis jam diu, non tamen aegre te laturum puto, si continuum istud eruditi laboris filum interrumpam literaria allocutione. Saeculum mihi videtur postquam nihil ad Te literarum dedi, nihil a Te

accepi. Id vero ut resarciam, (non enim tam leve quiddam apud me est amicitia tua, ut eâ patienter carere possem) decrevi non sine munusculo poëtico deprecari culpam quam commisi longa ista taciturnitate; quamvis non desperem de benignitate tua, si consideres quibus angustiis et periculis paene obrutus sim jam diu. Eclogam vides, qua dignitatis accessionem gratulatus sum Principi Paderbornensi [1]). Eam sane ante aliquot menses tibi discutiendam misissem, nisi omnia mea consilia turbasset insperatus ille atque infelicissimus conflictus. Verum

Gratia magna Deo; vetuit pater ipse valere
Quas sors insidias struxerat atra mihi,

idque profecto unius potissimum Domini de Weede [2]) industria et prolixo favore. Tu, mi Graevi, si quid hic erraverim, habebis hominem cui nihil animadversione tua acceptius esse potest; si quid placuerit, eo mihi gratior erit exiguus hic labor, quod calculum tuum mereri visus fuerit. Vale, Vir Clarissime, et me, quod facis, amare perge. Trajecti ad Mosam, 29 Martii 1680.

---

[1]) Videtur esse carmen: *Menalcas. Ad Reverendissimum Celsissimumque Principem Ferdinandum, Paderbornensem et Monasteriensem Episcopum, Comitem Pyrmontanum et liberum Baronem de Furstenberg*, etc. (*Poem.*, pag. 187).

Ferdinandus non tantum fuit episcopus, sed etiam camerarius papae et vicarius in regionibus septentrionalibus renuntiatus est. Fortasse B. hoc novo munere gratulatur.

[2]) Henricus a Weede hic fortasse designatur. Erat praefectus militum (quem *luitenant-kolonel* vocant) satis notus. In pugna apud Senef (XI Aug. 1674) fuit vulneratus; postea praefuit militibus, qui Traiecti in praesidio erant collocati; obiit a. 1700. In eius legione Broukhusius stipendia meruit. Sed etiam sermo esse potest de Everardo a Weede, domino a Weede, Dykveld, caet. (1626—1702), Ultraiectino, viro rei publicae gerendae peritissimo, qui saepius, inprimis in Anglia, munere legati functus est.

27 [1]).

Jano Broukhusio
Joannes Georgius Graevius.

Mortem Heinsii annuntiat. Constituit eius vitam litteris tradere. „Amicos ejus omnes sollicito, qui carminum pangendorum facultate praecellunt, ut praestantissimi nostrae memoriae Vatis manes decorent carminibus. Spes est Episcopum Monasteriensem [2]), Ducem Montauserium [3]), aliosque genere, ingenio et virtute viros excellentes, symbolas collaturos. De te nullus dubito, quin qui vivum coluisti, mortui memoriam sis pulcherrimo carmine, quod inter Italicorum et Gallicorum poetarum epicedia emineat, ut Hesperus inter sydera minora, celebraturus. Non Heinsium nomen, quod jam dudum ipse consecravit, sed tuum illustrabis."

Trajecti. d. XIX Octob. Julian. CIƆIƆCXXCI.

28.

Joanni Georgio Graevio
Joannes van Broekhuizen.

Ex litteris Francii certior factus est de obitu Heinsii. Hortabatur Fr. ut carmen scriberet. — „Stimulabat me quidem desiderium defuncti, (a quo me supra ullum meritum amatum fuisse et glorior, et recordor gratus) sed obstitit per plusculos dies valetudo minus commoda.

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Nempe Ferdinandus a Fuerstenberg.

[3]) Charles de Sainte Maure, duc de Montausier (1610—1690), vir eruditissimus, in magna erat gratia apud regem Christianissimum. Cum ei cura tradita esset Dephini erudiendi, effecit ut auctorum editiones in usum Delphini prodirent.

Feci tamen quod potui, atque ecce elegiam tibi mitto" [1]). Difficile est in materia vulgatissima novi aliquid excudere, et „unde mihi ista scribendi felicitas in hac barbarie qua versor? Adde quod nec mortis tempus, nec genus, nec locum significaverit Francius, neque prorsus quicquam eorum quae me scire oportuit." ... „Te vero per jus amicitiae nostrae obtestor ut hoc quodcunque est carminis totum arbitrii tui facere velis, id est, ut edas aut supprimas prout visum fuerit et e dignitate defuncti et e mea existimatione."

Gertrudimontii, 19 Februar. 1682.

29.

(Joanni Georgio Graevio
J. van Broekhuizen).

. . . . „Fac me certiorem utrum (carmen) acceperis necne." . . . .

Gertrudimontii. Calend. Mart. 1682.

30.

Joanni Georgio Graevio
J. V. Broekhuizen.

Magnopere gaudet Graevium carmen laudavisse. „Habueram in animo nescio quid grandioris operae, sed, ut dixi, intercessit valetudo, et dolor quem ex optimi viri morte cepi, qui quidem tanto fuit acrior, quanto serius ad aures meas funestissimi casus nuncius advenit." . . . .

Geertruidenberg, 5 Martii 1682.

„Oppidi nomen vernacule scribo, ne me iterum quaeras Bergizomii."

---

[1]) *In funere Nicolai Heinsii Literatorum ac Poëtarum principis* (*Poem.*, pag. 47).

31.

Joanni Georgio Graevio
Joannes Van Broekhuizen.

Nihil habet quod scribat. Scire vult, utrum Graevius absolverit telam, quam se de vita Heinsii contexturum promisit. Brevi ad eum excursiunculam facturus est.

Gertrudimontii, 3 Calend. April. 1682.

31 [1].

Jano Broukhusio
Petrus Francius.

Elegia in Heinsium mirifice placuit. Ipse nondum quidquam composuit [2]. „Poëmata mea lente admodum processerunt hactenus, neque ad mercatum Francofurtensem, quod speraveram, mitti potuere [3]." ... „Audivi ex Hasio nostro, vos Ultrajectum fortasse venturos. Quodsi fiet, commodior erit scribendi et ad vos excurrendi occasio." ... Mittit „l'Amynta di Tasso, quem petis, ex bibliotheca mea, cui, ut vides, subjunctus est tuus ille Secundus [4]. Habes eum, sine dubio, quoniam eum memoria tenes, quoniam eum tam feliciter exprimis, sed separari ab altero nequiit."

Amstelaed. die XXII Apr. CIƆIƆCLXXXII.

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Francius postea carmen scripsit: *Manibus Nicolai Heinsii* (vide: *Francii Poëmata*, 1697, pag. 330).

[3]) Illo tamen anno edita sunt.

[4]) Janus Secundus (1511—1536), natus Hagae Comitum, poëta celeberrimus. Eius carmina anno 1541 Ultraiecti primum edita sunt.

33 [1]).

Jano Broukhusio
Petrus Francius.

„Quod huc viciniae commigraveris, laetor admodum gaudeoque [2]).”Sequenti hebdomade excurret Ultraiectum. Agit de versione Graecorum epigrammatum.

Amstelaed. die XVI Maji CIƆIƆCLXXXII.

34 [3]).

Jano Broukhusio
Henr. Chr. Henninius [4]).

Carmen rogat in libellum suum de Graeca pronunciatione [5]). Trajecti ad Rhenum. a. d. III. Kal. Jan. Juliani, anni exspirantis CIƆ. IƆC. XXCIII.

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Mense Maio, ut ex hac epistola apparet, Broukhusius venit Ultraiectum. Duos annos in illa urbe habitavit; anno 1684 a magistratibus Amstelaedamensium praefectus militum factus, illuc migravit. Mense Novembri huius anni Amstelaedami fuit (vide: *Petri Francii Posthuma*, pag. 366).

[3]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[4]) Henninius, natus Hanoviae, annos aliquot in patria nostra habitavit, Tielae medicinam exercuit, obiit anno 1704 Teutoburgi, ubi medicinam, historias, eloquentiam atque linguam Graecam profitebatur.

[5]) B. composuit epigramma: *In Henrici Christiani Henninii de Graecorum accentibus dissertationem* (*Poem.*, pag. 253).

35 [1]).

Jano Broukhusio
G. Thomasius.

„Habes hic descriptas dudum Tui in gratiam Is. Vossi ad Christinam Augustam literas" [2]). . . . .

Traj. Batavor. XIIX. Jan. CIƆIƆCXXCVI.

36.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Gratias agit pro libro, quem Graevius misit [3]).

Amstelodami, 6 Maji 1686.

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Isaacus Vossius (1618—1689), Gerardi filius, invisebat Galliam, Angliam, Italiam. Anno 1646 praefuit Bibliothecae Amstelaedamensi; in Sueciam vocatus Reginam Christinam docuit linguam Graecam. Multum valuit gratia apud Christinam, quae ei mandavit in Gallia, Germania atque Hollandia libros manu scriptos coëmere eumque praefecit Bibliothecae Regiae Holmiensi. Controversia cum Salmasio, qui, ut Vossius, vivebat in aula Sueciae, ei valde nocuit. Cum Christina a. 1654 de potestate decessit, Vossius eam secutus est in Hollandiam et conatus est damnum suum sarcire — multam enim pecuniam suppeditaverat Reginae — vendens res pretiosas, quas paulo ante emerat. Fortasse Vossii Epistolae, de quibus hic sermo est — ni fallor, non sunt editae — scriptae sunt eo tempore, quo iussu Christinae visebat exteras regiones. Vossius a. 1670 in Angliam se contulit et Londinii obiit. Multa opera edidit.

[3]) Videtur fuisse *Oratio in natalem quinquagesimum Academiae Trajectinae*, quam Graevius d. XVI Martii 1686 habuit.

37 [1]).

J. Vollenhovio [2])
J. Broukhusius.

Dum abest domo, fuit Amstelaedami qui carmen peteret in obitum Constantini Hugenii. Mittit epicedium [3]).

Trajecti ad Rhenum, 18 April. 1687.

XXXVIII [4]).

(Bergio
Broukhusius).

Monsieur mon tres cher frere.

Met het ontfangen van Uw Eds. brief stel ik my om te antwoorden, en de redenen te ontvouwen waarom ik tot noch toe niet gekomen ben, en in zoo lange tyd niet heb geschreeven. Zekere Fransman heeft my opgehouden, met wien ik voor Monsr. Plett. [5]) negotieerde, (doch met alle behoorlyke omzichtigheid, en zonder my in het minste bloot te geeven) en die omtrent het geld geen zwaarigheid scheen te maaken, en zich inbeeldde vrienden te hebben ter plaatse daar het van nooden was. Na wel en lang gewagt te hebben verneem ik myn man niet meer, en heb sedert drie geheele weeken niets ter wereld van hem gehoort. 't Is

[1]) In Archivo urbis Amstelaedami.

[2]) Joannes Vollenhove (1631—1708), pastor ecclesiastes erat et poëta celeberrimus. B. Vollenhovii Homilias sacras carmine celebravit (*Poem.*, pag. 237).

[3]) *Constantini Hugenii equitis Memoriae S.* (*Poem.*, pag. 284).

[4]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[5]) Nescio, quis fuerit ille Plettenburg, sed miles fuisse videtur.

my leed dat het my mislukt onze goede vriend hier in te dienen. Ondertussen is voorgevallen de cassatie van Capt. Van Broek, en nu onlangs de dood van Capt. Burg [1]) De historie kan ik Uw Edt. niet vertellen, en geloof niet dat ze iemand in de wereld weet, behalven de Postmeester [2]). Niettemin het kan zyn dat ze de Troyaansche Sinon weet, want hy weet duizenden van zaaken die nooyt geschied zyn. De compagnie is gegeeven aan de broeder van den dooden, idque, ut cuivis apparet, ad leniendos Burgiorum animos, et promtiorem spem reconciliationis. Over de plaats van de ander word niet een woord gesprooken. Cur me non etiam dites genuere parentes? Indien het anders waare uitgevallen, ik zou waarlyk in deze occasie de grond van myn hart getoont hebben, waar aan ik echter weet dat Uw Edt. gansch niet en twyffelt. Duremus, et servemus nos melioribus. Aangaande de twee andere vacante compagnien zegt men dat een resolutie is van die te laaten gelyk ze zyn, en geen nieuwe Capiteinen aan te stellen. Hoe lang dit duuren zal, moet ons de tyd leeren. Ondertussen zie ik zwaarlyk kans om deze zomer tot Breda te komen, daar nochtans myn hart nevens Uw Edt. al gaat spatseeren in des Princen lusthof. A propos van de lusthof, ik heb Uw Eds. carmen zoo aanstonds op myn bed geleezen: (Uw Edt. kan wel denken dat het was in goed gezelschap, want als ik des avonds niet te veel gedronken heb, slaap ik altyd by eene van de Musen,) in waarheid, het behaagt my wonderlyk. Zommige dingen evenwel heb ik geremarqueert, die ik

---

[1]) Ni fallor, Van Broek et Burg erant, ut Broukhusius, praefecti militum Amstelaedamensium.

[2]) Fortasse Francii pater, qui hoc munere fungebatur.

niet moet zwygen. Prima syllaba in *Gratiae* producitur: tu corripis. Pro *monstroso* robore, mallem *immani*, nisi tu dissentis. Pro *Hyrcanis, Hercyniis*, aut simile quid. Ista enim regio, utpote deserta, inculta, tigrium immaniumque ferarum nutrix, nescio quid terroris habet et dirae imaginis. Sed parvum hoc est et leve. De voce *utrobique* nihil mihi constat, nec succurrit exemplum. An tibi? *Nullibi* non est vox Romana. *Inde videre* plebejum videtur. Prima in *pu*bescens produci debet. Vides ingenuitatem meam, mi frater, et ignosces scio. De Francii postrema oda nihil possum polliceri. Videbo tamen an possim. Imprimuntur omnes quatuor uno volumine in octavo, cum notulis nonnullis, sed quae juventuti et philosophis scribuntur, non nobis. Id ubi ad umbilicum perductum fuerit, faciam ne queramini de raritate exemplarium. Tres tantum aut quatuor dies expecta: habebis. Uw Eds. ziekte hoop ik dat nu al gepasseert zal zyn, en verwacht daar de zekerheid van. Ik ben, God dank, noch fris en wel, want ik gaa nooyt meer te gast. Ik recommandeer my in de goede gedachten van Heeren De Haas [1]) en Plettenburg, terwyl ik met al myn hart zal blyven,

Monsieur, mon cher frere,
Votre tres humble serviteur
Joan Van Broekhuizen.

Amsterdam. 17 Julii 1687.

[1]) Hasius signifer erat et amicus Broukhusii.

XXXIX [1]).

Jacobo Perizonio [2])
Janus Broukhusius.

Ignosces huic meae desidiae, carissime Perizoni, quod tam eleganti munere tamque amica epistola compellatus a te, aliquot jam hebdomadas elabi siverim absque ulla scriptione. In causa fuit expectatio adventus ad nos Graeviani, qui tamen dilatus est hactenus. De Minerva [3]) tua unice te amo, et tutelarem illam mihi patronam elegi, minus tamen ambitiose atque olim ille Flaviorum ultimus. Amplissimi Scepperi [4]) Elegiam legi cum voluptate, et miratus sum in homine occupatissimo ingenium poëticum, venam facilem ac limpidam, dictionem puram. Francio dedi exemplar, Graevio misi, qui nondum mihi respondit. In Propertio pergo quantum possum. Sed offendit me ignoratio temporum vitae Propertianae. Ejus enim vel nati vel denati nec volam nec vestigium invenio. In quibusdam

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Jacobus Perizonius, (1651—1715), Appingadamus, Traiecti et Lugduni operam dedit litteris. Anno 1682 professor historiarum et eloquentiae creatus in Academia Franequerana a. 1693 migravit Lugdunum. Fuit peritissimus Graeci et Latini sermonis atque historiae. Edidit Aelianum, Curtium, Valerium Maximum, alios, scripsit *Animadversiones historicas*, caet. Ut Broukhusius patronos habebat Heinsium et Graevium; cum signifero Perizonius amicitias iunxit, quae postea abierunt in odium implacabile.

[3]) Anno 1687 Perizonius edidit librum, cui titulus: *Francisci Sanctii Minerva*, *sive de causis Linguae Latinae commentarius*, *cum Notis. Franeq.*, 1687.

Franciscus Sanchez (1523—1601), Hispanus, qui Salamanticae linguam Graecam professus est, hunc librum a. 1587 edidit.

[4]) Nescio quis fuerit.

elegiis videor mihi deprehendisse tempus quo sint scriptae. Vellem in omnibus possem deprehendere. Nunc tu me juva, si potes, et tempestatem indica exstructae atque dedicatae bibliothecae Palatinae cum porticu. Id faciet illustrandae elegiae sextae libri quarti. Tum etiam scrire velim quis fuerit ille Corn. Gallus, quem Plinius, l. 7, c. 53, et Valerius tuus [1]), l. 9, c. 12, in venere obiisse scribunt: et qua tempestate Virgilius absolverit sua Georgica. Id si tibi minus civiliter factum videbitur, (ut est sane) cogita tibi rem esse cum milite, sed qui magis literatas quam armatas preces ferat. Vale mi carissime Perizoni, et me amare perge, qui te in oculis fero.

Amstelodami.

pridie Calend. Septembr. 1687.

40 [2]).

Theodoro Janssonio ab Almeloveen [3])
Janus Broukhusius.

Gratulatur ei et sponsae. Mittit carmen, quod A. petiit [4]).

Amstelodami, 29 Sept. 1687.

---

[1]) Valerius Maximus.

[2]) In Bibliotheca Traiectina.

[3]) Theod. Janssonius ab Almeloveen (1657—1712) Traiecti discebat medicinam. Habitavit Goudae; anno 1697 professor historiarum, eloquentiae atque linguae Graecae in Academia Harderovicensi creatus inde ab anno 1702 etiam medicinam docebat. Edidit Strabonem, Celsum, Hippocratis Aphorismos, caet.

[4]) *Ad Theodorum ab Almeloveen Sponsum (Poem.*, pag. 163.)

41 [1]).

Jano Broukhusio
Joh. Mensinga [2]).

„Multum debeo politissimo Francio, Broukhusi lectissime, quod ipso conciliante copia mihi data est suavissimi convictus tui. Affirmare tibi possum nihil mihi acceptius fuisse, quam coram satiari laetissimis ac elegantissimis Vberrimi Ingenii tui colloquiis, et amplecti coram, cujus absens admirator fueram maximus. In Te contemplari mihi videor fortissimos illos Romuli nepotes, qui in utrisque castris Minervae ac Martis merebant felicissime".... „Quare si non fastidias virtutum tuarum cultorem, admittas ex hoc die me inter illos, quos benevolentia tua arbitraris dignos. Ego quantum in me erit, id operam dabo, ne te poeniteat propensioris tui in me animi. Si fert animus revisere aliquando prima militiae tuae stipendia, quaeso ad me accurras cum communi amico Cl: Francio, et erit uterque hospes mihi gratissimus."... Codicem MS. Propertii ex bibliotheca Academica [3]) heri ad Francium misit.

Gron: in Frisijs. XI. Oct. CIOIOCLXXXVII.

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Joannes Mensinga, Groninganus, natus a. 1635, philosophiae et litteris studebat in urbe patria, Franequeri, Daventriae, Lugduni. Vivebat Edelbergae et Argentorati; inde ab anno 1665 in Academia Teutoburgica docebat eloquentiam, historiam et linguam Graecam, ab anno 1669 eloquentiam profitebatur in Academia Groningana. Obiit d. V Martii 1698. Composuit carmina Latina, quorum pauca tantum edita sunt.

[3]) Codex MS. Propertii Groninganus, antehac celeberrimus.

42.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Mittit carmen Scepperi, quod a Perizonio accepit, et epigramma Bergii. Cum illo mox Traiectum excursurus est.

Amstelodami, 18 Octobr. 1687.

43 [1]).

Joanni Mensingae
Janus Broukhusius.

Gratias agit pro misso codice Propertiano Agit praeterea de illo libro manu scripto fere eodem modo ac in praefatione ad Propertium (1702). — „Elegia tua, Vir Clarissime, valde mihi placuit (ex animo loquor) et delectatus sum vehementer tam puro tamque profluenti stylo, qui nihil ob oculos ponit quod non sit lectum cum cura ex venerando castae antiquitatis sacrario. Unam voculam mutatam velim, et *populatorem luxum* dici pro populatrice". . . Amstelod. 8 Nov. 1687.

XLIV [2]).

Davidi van Bergen
Janus Broukhusius.

Doleo, mi frater, et vehementer doleo, eam esse rerum tuarum conditionem ut tanquam Sisyphus ad

---

[1]) Exemplum huius epistolae satis vitiosum inveni in exemplari Propertii Broukhusiani, quod est in Bibliotheca Groningana.

[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.

saxum istic sis alligatus, neque tamen despero imminutum iri Deorum iram, quorum in genibus situm est ut Castoris ac Pollucis modo permutes subinde habitationem. Nihil te responsi accepisse ab Aenea magno, non est quod ego mirari debeam, cui istius ingenium sic satis est perspectum. Utrum in eum epitaphium scripseris, non ausim affirmare. De eo coram. Quamdiu vobiscum erunt Peniculi isti, istique Colaces, isti Diaboli, (nam et hoc nomen Plautinum est) nihil est quare melius sibi fore sperent erectiores animae. Neque tamen hoc te adeo offendere debet, quum probe scias nullum esse vitae genus in quo virtutis suae mercedem promittere sibi debeat mens bona. Bene factorum unicus fructus est iis qui hanc amant, fecisse. Omnino autem pergendum est in hac via, mussitandae et dissimulandae injuriae, donec aura aliqua benignior affulgeat. Noli tamen credere me valentem recta consilia aegroto dare. Quisque suos patimur manes. Sunt et nobis Brabanti nostri, sunt et nobis Diaboli. Quid faciam? Haec est conditio vivendi. Ego quotiescunque domi sum, obliviscor ea omnia, et velut ab excelsa specula despicio tam despicabiles animas, tam nullius pretii ridiculos homunciones. Idem et tu facere debes, id est, remedium omnium malorum ex dulcissimo et innocentissimo Musarum consortio petere. Quid enim aliud nobis restat? aut quid nos cruciemus in iis quae emendare non est in manu nostra? Quod vero addis de alio quaerendo asylo, vellem jam invenisses. Et de hac quidem re uberius disputabimus, simulatque mihi ora tua tueri dabitur, et ruere in amplexus tuos. Tu modo noli desistere a petitione justissima, et fac quacunque poteris ratione impetres commeatum. Hasium miror tam diu siluisse. Emendabit spero taciturnitatem suam.

Novi quod ad te scribam nihil habeo, ita omnia sunt tranquilla. Invenias tamen vates qui certo certius imminere canunt ingens bellum toti Europae, pacem cum Turcis jam jam esse sanciendam, totam istius procellae iram in Galliae viscera saevituram, etc. Quid credam? id quod videro. Si bellum erit, erit bellum: si non, pacem habebimus. Totus cohorrui ad istam optionis Brunii [1]) historiam. Adeone humilioris sortis homines nihil aliud esse nisi pecudes quibus illudatur impune!

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem
Oceanum [2]).

Nisi et illic vigeant mali mores et pessima exempla. Vigere autem, admodum est credibile, postquam istuc sibi iter aperuerunt mortales. De epistolis Indicis recte curabitur, si quid fuerit. Sed jam finem imponam morosae huic et querulae epistolae. Tu vale mi frater, et me amare perge. Fac autem contendas quo et tibi detur libertas huc advolandi: non enim dubito quin post tam ignominiosam paucitatem jussi fuerint aliqui vestrum reditum ad stationem suam maturare. Iterum vale mi frater.

Amstelodami, 17 Novembr. 1687.

45 [3]).

Jano Broukhusio
S. Munckerus [4]).

Gratias agit Broukhusio pro carmine [5]) . . . „Epitha-

---

[1]) Fortasse signifer, qui Bergio praelatus fuit.
[2]) Iuven., II, vs. 1.
[3]) In Bibliotheca Lugdunensi.
[4]) Samuel Munckerus, Hammonensis, prorector Scholae Goudanae, a. 1691 Rector Leovardiae, a. 1697 Dordraci, obiit a. 1700. Anno 1688 carmina Latina edidit.
[5]) D. XXVIII Octob. B. composuit carmen: *Ad Samuelem Munkerum sponsum* (*Poem.*, pag. 113).

lamia nostra, statim post nuptias cum salute et officiis tibi tradi curavimus; hincque tanto omissior in scribendo fui, praesertim quod Parisiis tibi laeta exspectabam." .... „Interea tibi persuadeas velim, me pro virili allaboraturum ut in Gallia collatio (codicum MSS. Propertii) instituatur" [1]).

Goudae a. d. VII. Id: Decemb. CIϽIϽCLXXXVII.

46.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Cum Domino Stammio [2]) convenit utrumque Marsevenium et egit quod potuit. Stammius certe die crastino votorum suorum compos futurus est .... „Doleo nihil me potuisse efficere majus, quo testatum redderem quibus et quantis beneficiis tu me non semel obstrinxeris."

Amstelodami, 16 Decembr. 1687.

XLVII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Promissum carmen in luctuosum Serenissimi Electoris obitum [3]) hactenus solvere distuli tum nescio quo ingenii stupore, tum quod

aliena negotia centum
Per caput et circum saliunt latus [4]).

---

[1]) Cf. Epist. 82.
[2]) Nescio quis fuerit ille Stammius.
[3]) Nempe Frederici Gulielmi Magni, Electoris Brandeburgici, qui d. XXIX Aprilis obiit.
[4]) Hor. Sat., II, 6, vs. 33.

Heri autem subito quodam impetu effudi elegiam [1], ut mihi quidem videtur, non omnino pessimam. In illa vero ipsa, quoniam adhuc calet ab incude, absque dubio mutandum erit non nihil, de quo Nardae mentem meam in consilium cogam; illuc enim cras proficiscar, socium emendationis habiturus Bergium. Quod si plus fuerit festinandum atque ego cogitaram, illuc cras circa meridiem Trajecto solvit ordinaria navis, cujus nauclero literas tuas, Vir Clarissime, si opus fuerit, ad me ferendas dare potes, nec minus Cramerus [2] noster, si quid velit. De Salmasiano opere [3] egi in transcursu cum Wolfgangio [4], qui se satis facile praebere visus est. Ubi rediero (id autem erit post triduum) conveniam hominem, et rem illi omnem accuratius explicabo. Te interim, Vir Clarissime, valere jubeo, atque ut me amare pergas obtestor. Lectissimae uxori a me salutem.

Raptim. Amstelodami, 11 Junii 1688.

48.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Mittit carmen funebre in Electorem. . . . „Scribo haec diro calculi cruciatu, qui me heri tantum non enecavit, excarnificatus."

Amstelodami, 19 Junii 1688.

---

[1]) Cf. *Poem.*, pag. 355.

[2]) Joannes Fredericus Cramerus scientiam iuris profitebatur Teutoburgi, procurator Electoris Borussiae fuit Amstelaedami, postea praeceptor filii Electoris. Frederico I mortuo a muneribus suis amotus in magna egestate obiit a. 1715 Hanoviae.

[3]) Vide Epist. 51.

[4]) Abraham Wolfgang erat bibliopola Amstelaedamensis.

49 [1]).

Jano Broukhusio
I. F. Cramerus.

„Carmen Funebre Illustris Graevius mihi tradidit."....
Laudat elegiam, quam misit ad „Dominum meum," Danckelmannum [2]).

Traj. a. d. XXIV Junii CIϽIϽLXXXIIX.

L.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Elegiam meam quod non displicuisse tibi video, Vir Celeberrime, laetor ex animo atque triumpho. Non enim adeo Stoicus sum, ut nolim me ac mea laudari a viro laudatissimo. Vellem, si ita tibi videbitur, ederetur apud vos, et triginta mihi exemplaria transmitterentur, aere meo redimenda. Nihil propius fuit quam ut hoc ipso die ad vos excurrerem, oblectaturus aegrum animum suavissimo tot amicorum consortio, sed nescio quae importuna me quotidie irretiunt negotia, et profectionem meam differre cogunt ad aliquot dies. Ostendit mihi Wetsteinius [3]) specimen editionis fratrum

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Eberhard Christoph Balthasar Danckelmann (1643—1722) praeceptor fuit filii Electoris Brandeburgici, Frederici Gulielmi Magni. Illo mortuo Fredericus III Danckelmannum a. 1688 ministrum status primarium constituit. Anno 1697 falso accusatus abdicavit se magistratu et paulo post in carcerem coniectus a Gulielmo I, qui a. 1713 imperium capessivit, liber est dimissus.

[3]) Henricus Wetstein (1649—1726), natus Basiliae, fuit bibliopola Amstelaedamensis celeberrimus.

Amaltheorum [1]), cujus tamen characteres ipsi displicebant, neque sane mihi poterant probari, utpote nimis minuti. Si quid ad illum scribis, Vir Clarissime, urge quaeso hominem, ut serio ad editionem accingat sese. Cum Wolfgango egi de libro Salmasiano, et egi serio. Is se editurum recepit, sed codicem ipsum videre desiderat, ut scire possit quid fieri debeat de tabulis aeneis, (iis enim opus fore valde est credibile) deque earum artifice. Dixeram profecturum me Trajectum et Tecum de toto negotio acturum, fortasse etiam librum ipsum mecum allaturum. Id cum jam fieri non possit, expecto e literis tuis, Vir Clarissime, quid illi responderi velis. Hasce inclusas rogo ut Cramero reddendas curare velis. Vale Vir Celeberrime et me amare perge.

Amstelodami, 8 Julii 1688.

51 [2]).

Jano Broukhusio
Joannes Georgius Graevius.

.... „Mitto Salmasium de militia Romana [3]). Bene sane mereberis de re litteraria, si ut lucem adspiciat hic liber operam dederis. Vtinam possis etiam Am-

[1]) Amalthei fratres, Hieronymus (1506—1574), Joannes Baptista (1525—1573), Cornelius (1530—1603), e gente celeberrima Italica, optima fruuntur fama carminibus suis Latinis. Illorum carmina, a. 1627 Venetiis edita, iterum prelo mandata sunt Amstelaedami, a. 1689. Vide ad Epist. LVI.

[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[3]) Claudius Salmasius (1588—1653), Gallus, philosophiae et scientiae iuris studebat Lutetiae et Edelbergae, anno 1631 Lugduni professor creatus est, in Sueciam migravit anno 1650, sed mox ad Belgium rediit. Edidit Florum, Scriptores Historiae Augustae, Tertullianum, Simplicium, alios. Liber eius de re militari Romanorum a. 1657 editus est Lugduni.

sterodami invenire, qui Francisci Junii [1]) de pictura veterum libros tres pulcherrimos, olim quidem editos apud Blaevium [2]), sed nunc tam multis in locis ab auctore emendatos, tantisque ac tot accessionibus amplificatos, ut novum opus videri possit, typis denuo mandare velint. Accedit tomus secundus ἀνέκδοτος plane de veteribus pictoribus, statuariis, artificibus, eorumque operibus, qui mole primum aequabit Scriptus uterque tomus est non tantum si dictionem spectes elegantissime, si quicquam nostra tempestate, sed et nitidissime, si ad καλλιγραφίαν attendas. In Gallia jam ab aliquot annis incredibiliter desideratur hoc opus. Scis enim ibi hanc artem hoc tempore maximi fieri. Haec fuit caussa, quod tot annorum litteris, quas apud me videre potes, ab amicis Parisiensibus sollicitus tandem expiscatus sim, ubi hoc opus lateret, et id ex tenebris modo protraxerim in meum Musaeum. Si illud quoque possem tuo studio in lucem producere, valde gauderem. Vbi tu, novi enim tuam elegantiam, unum caput leges, sat scio coelum et terram miscebis ut in publicum prodeat.".... „Petri Petiti [3]) vita nunc typis describitur. Exornata est epigrammatibus poetarum Gallicorum Latinis satis argutis. Tu vide an fidem datam liberare possis,

---

[1]) Franciscus Junius, Edelbergensis, pastor ecclesiae apud remonstrantes, in Hollandia et Anglia vivebat; obiit a. 1677. Multos conscripsit libros; eius opus *de pictura veterum libri III* Amstelaedami a. 1637 prodiit.

[2]) Blaevius typographus fuit celeberrimus Amstelaedamensis.

[3]) Petrus Petitus, Gallus, natus a. 1617, medicinam exercebat atque carmina Latina composuit. Obiit d. XII Decembris 1687.

Graevius edidit librum cui titulus: *Elogium et Tumulus eximii viri Petri Petiti, Doctoris Medici ..... Traj. ad Rhenum*, 1688—1692, 2 vol.

et aliquid pangere te et Petito dignum. Meretur sane qui ab omnibus φιλομούσις celebretur, cum fere solus in Galliis veterem veram doctrinam contra recentiorum praestigias, quibus plerique omnes fascinati et dementati sunt, defenderit.".... „Salutem dico Amplissimo Marsevenio, ubi eum videris, et tuo patruo."

Traj. d. IX Aug. Julian CIϽIϽCϽIIXC.

LII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Ignosces, Vir Clarissime, quod tam tarde respondeo ad supremas tuas. In causa est languor qui me aliquot dies non bene habuit, neque tamen ea quae mihi commendas negotia plane neglexi. Egi enim de edendo opere Vossiano [1]), cui me puto typographum jam reperisse, aut certe brevi reperturum. Quocirca opto ut Cramero nostro (is enim brevi se huc venturum recepit) volumen illud ad nos deferendum tradas. De Salmasii Militia agam serio cum Wolfgango, simul ac rursus in publicum prodierim; statui autem prodire quam primum. Ignoscent mihi Petiti manes quod nullo eos carminis officio prosecutus sim. Quidvis enim nunc mihi proclivius foret, quam versus facere. Ad Amplissimum Harscampium [2]) ante aliquot dies scripsi, et misi simul epigramma in effigiem tuam [3]). Sed quantum

[1]) Sine dubio pro *Vossiano* legendum est *Juniano*. Vossii Juniique erant affines.

[2]) Everardus Hartscamp fuit urbi Ultraiectinae a secretis (vide: *Poem.*, pag. 289). Obiit a 1691.

[3]) Quatuor epigrammata B. composuit in imaginem Graevii (*Poem.*, pag. 277). Primum scriptum est d. VII Aug. 1688, reliqua d. II Julii 1693.

intelligere possum, is jam tum profectus fuerit oportet ad Sicambros. Mitto iterum, Vir Celeberrime, ut, si tanti fuerit, adjungatur tuae imagini, et cultum in te meum, qui sane non potest esse non maximus pro tot tuis meritis, publice testatum faciat. Vale Vir Clarissime, et me, quod facis, amare perge.

Amstelodami. 23 Augusti 1688.

LIII.

Joanni Georgio Graevio Janus Broukhusius.

Munus tuum elegantissimum [1]), Clarissime, et, quod lubentius dico, carissime Graevi, nisi ea qua debet laetitia animum meum perfuderit, ingratissimus merito tibi videar atque alienissimus a sacris Musarum. Alliceret vel ignavissimum quemque et characterum ille non usitatus nitor, et auctoris summi gloria, et dignitas ipsius operis, et, quae cumulus ad haec omnia accedit, fama nominis Graeviani. Quare gratias merito tibi ago, Vir Clarissime, quantas possum, non quantas debeo. Neque, si vel caeterorum tuorum in me beneficiorum memoria huic animo excideret, officio meo erga te deesse unquam potero, donec Ciceronis officia in oculis, in manibus, in animo habebo. Nunc vero, ut tibi ratio constare possit otii mei, redhostimenti loco quaestionem proponam, non illam quidem magni momenti, sed quae me tamen non nihil exercuit. Praxitelis patriam an nosti? Cur rogas? inquies. An tanti est?

---

[1]) Edidit Graevius a. 1688 Ciceronis libros de officiis.

Dicam. Apud Propertium, lib. 3. El. 7 [1]), hic versus est, qualem quidem edidit Scaliger [2]):

Praxitelem proprius vindicat arte lapis.

Pro τῷ *proprius* pleraeque editiones habent *Patrius*. Est ejus Praxitelis mentio apud Plinium, lib. 34, c. 8, ubi eum floruisse ait centesima quarta Olympiade, una cum Euphranore. Multa autem Praxitelis opera recenset lib. 7, c. 38, et lib. 36, c. 5, nusquam facta patriae mentione. Iste porro versus Propertii, quem laudavi, in duobus MSS. codicibus, quos ego et Francius studiose contulimus, ita liquidissime ac sine ulla litura comparet:

Praxitelem *propria* vindicat *urbe* lapis.

Ea lectio si vera est, Parium fuisse oportet. Quod idem mihi suggerit Plinius. *Omnes* (inquit lib. 36, c. 5) *tantum candido marmore usi sunt e Paro insula*, etc. Anglus autem ille, qui nobis Dictionarium Geographico-poëticum etc. concinnavit, (noli ridere) Praxitelem natum dicit in extrema Italiae ora, quam magnam Graeciam vocabant, deinde ob artis excellentiam civitate Romana donatum. Unde ille hoc habuerit, non possum divinare. Neque enim Plinius, ut nosti optime, neque Athenaeus, ubi de Praxitele sermo est, ejus unquam patriae meminerunt. Sed fortasse hanc tam bellam tamque eruditam quaestionem suggessit mihi corrupta manuscriptorum lectio. Quod in his literis non adeo rarum est. Tu ignosce, mi Graevi, et, quod te facere gaudeo, Broukhusium amare perge,

---

[1]) = l. IV, 8, vs. 16. Vide Propert. Broukhusii, pag. 257.

[2]) Iosephus Iustus Scaliger (1540—1609), Gallus, vir eruditissimus, inde ab anno 1593 professor fuit Lugduni. Multos auctores Latinos edidit et de re chronologica, epigraphica atque nummaria scripsit. Propertium a. 1577 edidit Lutetiae.

Atque minus libra noris et asse tuum.
Salutem a me lectissimae uxori omnique familiae.
Amstelodami. pridie Calend. Octobr. CIƆIƆCLXXXVIII.

LIV.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Imaginem tuam, Graevi clarissime, a Francio nostro recte accepi, gavisus tanto Musarum pignore ornatum iri musaeum meum. Quanquam quid illo opus fuerit, cum tu multo fidelius imaginem tui in animo impresseris meo? Junii librum Francio tradidi ad te perferendum. Omnia jam excusseram, ut typographum aliquem invenirem, sed rumores isti bellici spem omnem edendi libri praeciderunt. Doleo sane opus tam praeclarum negari bono publico, sed obtemperandum est tempori, nec desperandum de occasione commodiore. Salmasii quoque librum de re militari Romanorum jam pridem mihi reddidit Wolfgangus, causatus ejus libri stylum non fore ad gustum delicati hujus aevi. Ecce, nugae hominum, et, ut verbo dicam, Galli et Gallorum fatuae simiae de sorte ac fato eruditorum laborum(?) decidunt, et quia ad illorum palatum non scripsit Salmasius, typographum invenire non potest. Salmasius F(ilius) [1] nuper mihi per literas significavit velle sibi remitti eum codicem, eo quod crederet opportunitatem edendi Hagae non defore. Sed is qui mihi epistolam dedit, postea non comparuit, neque ego omnino scio ullam rationem scribendi ad Salmasium, nec quenquam habeo cui satis tuto chartas illas committam. Tu, si potes, subveni. Elector Brandeburgicus, splendidissimus ille Musarum Maecenas, quadringentos imperiales (ut vocant)

[1]) De Salmasii filio nihil invenire potui.

thaleros mihi Francioque dividendos Kuffelarium [1]) numerare jussit. Ingens certe pretium tam parvi laboris. Sed nos non tam capit opimum illud munus, quam honor ille a tanto Principe habitus Musis Batavis, et in ipsa Batavia pene ignoratis. Tu vale mi pater, et me, quod facis, amare perge.

Amstelodami. 21 Novemb. 1688.

Pervelim scire ubi stationem suam habeat legio Wediana [2]), nam per crebras profectiones illud hic expiscari non possum.

LV.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Mitto ad te, Vir Clarissime, Salmasii librum de Re Militari Romanorum, qui hic typographum invenire non potuit, ut mos est horum temporum [3]). Eum quando ad Salmasium F(ilium) remittes, magnopere te oro, ut memineris mei, id est, ut me illi purges, quod ad honestissimas ejus literas nullum responsum dederim. Neque enim scio ubi habitet aut degat, neque hominem illum, qui literas portaverat, usquam postea oculis vidi. Male sit, imo pessime, hominibus istis perverse officiosis, qui epigrammatia nupera [4]) praelo commiserunt. Et poterat hoc tamen aliquo modo excusari, cum forte

---

[1]) Fortasse erat argentarius Amstelaedamensis. Plumerus carmine Belgico Mariam Magdalenam van Kuffelaar celebravit.

[2]) In ea legione B. antea stipendia meruit.

[3]) Graevius Salmasii librum iterum edidit in *Thesauro Antiquitatum Romanarum*, vol. X, pag. 1284, sqq.

[4]) Sermo esse videtur de responsione ad epigramma poëtae Galli in Principis Arausicani expeditionem Britannicam a ventis disturbatam (*Poem.*, pag. 330) et de epigrammate: *In Jesuitas Gallos* (l.l., pag. 331).

saepe sint descripta, et in multorum manibus versentur; sed quid opus fuit adjungere duos istos vappas, saecli opprobria, pessimos poëtas? Id ne iterum fiat, per Genium tuum, mi pater, perque amicitiam nostram obtestor. Misit ad me noster Mensinga Elegiam in nuper natum Principem Brandeburgicum, sane quam bonam. Ejus lectionem reservabimus primo congressui nostro. Tu vale Vir Clarissime, et me, quod facere te gaudeo, amare perge. Amstelodami, 11 Decemb. 1688.

LVI [1]).

Bergio suo Broukhusius.

Eram in eo ut literis te meis opprimerem, mi frater, quaesiturus num satis recte accepisses Amaltheorum poëmata [2]), quae ante duos opinor menses miseram tibi, cum ecce commodum mihi redduntur tuae. Gratum est et jucundum quod acceperis, nec tibi puto injucundum neque ingratum quod mea cura effecerim, ut omnes jam legere possint quae ab omnibus legi merentur [3]). Judicium tuum probo; in Cornelio pauca admodum esse quae propter a vulgari poëtarum choro secernatur. Addo, durum nonnunquam videri, atque insuavem. Sed frater erat, et nobis primam illam atque unicam editionem Venetam exprimere cordi fuit. De Joanne Baptista velim curatius cogites, cujus et stylum et ingenium magno

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) *Trium Fratrum Amaltheorum, Hieronymi, Joannis Baptistae, Cornelii, Carmina. Editio Secunda, plurimis in locis castigata. Amstelod. apud Wetstenium* ... 1689.

[3]) Vulgo Graevius creditur Amaltheorum carmina recognovisse. Apparet tamen ex hac epistola Virum Cl., qui praefationem scripsit in illum librum, sibi Broukhusium socium adiunxisse.

Danieli Heinsio [1]) mirifice placuisse non semel vidi. Ante hoc biduum typographi ultimam manum imposuerunt Sannazario meo [2]), (neque enim injuria meus est) cujus en tibi exemplar, quo oblectes morosum istud otium tuum. Notarum scribendarum provinciam (ut nosti) in me receperam: profecto satis juveniliter: nam ut ut haec talia primâ fronte levia videntur ac facilia, habent tamen non nihil laboris, quo defungi eum par est qui scripta sua publico exponet. Nomen porro meum additum nolui, ne irritare videar hominum malevolorum et maleferiatorum sinistra judicia. Ergo, inquies, iterum te praebebis spoliandum Henninio [3]) alicui: ille enim occupantis fieri didicit quicquid est nullius. Praebeo sane, si ita vel illi vel cuiquam alteri visum fuerit. Satis est conscientiae meae factum, si temporis non pessime impensi ratio constiterit. Haec autem qualiacunque si placere tibi atque ingeniis politi-

---

[1]) Daniel Heinsius (1580—1655), Gandavensis, operam dedit litteris Franequori et Lugduni. Ab anno 1605 professor fuit Lugduni. Edidit Hesiodum, Aristotelem, Theophrastum, Horatium, Ovidium, Senecam, scripsit tragoedias Latinas et carmina Belgica.

[2]) *Actii Synceri Sannazarii Neapolitani*, *Viri Patricii*, *Opera Latina omnia et integra. Accedunt Notae ad Eclogas*, *Elegias et Epigrammata. Amstel. apud Wetstenium.* 1689.

Anno 1728 Petrus Vlamingius edidit: *Actii Sinceri Sannazarii*, *Patricii Neapolitani*, *opera*, *Latine scripta. Ex secundis curis Jani Broukhusii Accedunt Gabrielis Altilii*, *Danielis Cereti*, *et Fratrum Amaltheorum Carmina; Vitae Sannazarianae*, *et Notae Petri Vlamingii. Amstel.* Addidit notas, quas B. in suo exemplari — quod in Bibliotheca Lugdunensi servatur — ascripsit.

Jacopo Sanazario, natus a. 1458 Neapoli, celeberrimus fuit poëta Latinus. Eius carmen *Arcadia* editum est a. 1502, alia poëmata a. 1526 Neapoli prodierunt. Obiit a. 1530.

[3]) De Henninio vide ad Epist. 34.

oribus intellexerim, erit quod gratuler industriae meae. Multum risi cum epistolam tuam legerem, in qua tam scite carceris vestri paedorem ac barbariem depingis, an deploras? Ego certe vix tenere potui lacrimas, quoties cogitarem quam misera quamque abjecta sit muneris nostri conditio. Sed tamen hoc nobis cum Orpheo commune est quod cogamur cum bestiis vivere, et imperium habeamus in belluas. Amabo te, mi frater, dum nihil aliud possumus, saltem literarium hoc commercium fideliter exercere ne desinamus. Hasio nostro utriusque libelli exemplar nunc quoque misissem, sed quia, ut scribis, omnia Vltrajecto ad vos per milites sunt adferenda, verebar ne quis majusculam sarcinam portare gravatus munus istud detrectaret. Mittam prima occasione. Habebis interim quod bini simul legere possitis. Nihil mihi possit gratius accidere, nil optatius, quam si crebro molestias istas tuas verbosis longisque literis in sinum meum deponas. Lucilii hoc institutum fuit, at cujus hominis! Quem profecto tanquam emendatissimum exemplar sibi proposuit Horatius noster [1]:

Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat chartis, neque, si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene.

Id volo, ut nugeris mecum, ut ludas, ut epigrammata, quae ego aeger hauriam, conscribelles. Eo modo otium tuum ut oblectes auctor sum. Nam quod te studiis dedas gravioribus, minus est nihilo. Melius tecum ageretur si esses solus. Perfer tamen atque obdura, et melioribus te rebus servato. Salutat vos Francius noster. Vale, mi frater, cum nostro Hasio, et me, quod nunquam facere desinis, amare perge.

Amstelodami. 20 Februar. 1689.

---

[1]) Sat. II, 1, vs. 30.

LVII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Supremis tuis ad Francium literis, Vir Clarissime, spem nobis feceras videndi tui, quam tamen hactenus nihil nisi spem esse haud semel uterque conquesti sumus. Nunc autem, postquam *Frigora mitescunt Zephyris* [1]), adventum tuum de die in diem praestolamur. Prodiit interea Sannazarius, cujus, ut a praelo est recens, tria tibi mitto exemplaria. Alterum eorum Amplissimo Harscampio, cujus potissimum in gratiam quicquid hoc est opellae sumsi, a te ut tradatur obnixe oro; tertium Goyero [2]) nostro destinavi, redhostimenti loco futurum pro Guyeti [3]) notis in Propertium. Tibi vero, mi pater, quisquilias meas minime eo misi ut legas, (neque enim fas est carissimas horas tuas tam vilibus naeniis male conteri), sed ut videas praestitisse me quod nimis liberaliter promiseram. Id si perfecero, ut Sannazarius, quatenus ex recentiorum cum veteribus comparatione pronius iter est ad imitationem, majore cum fructu a juventute nostra ac minore cum labore intelligi possit, pulcre mihi constabit laboris mei ratio. Cramerus noster an apud vos sit, nimis scire desidero. Promiserat mihi hinc abiens (abiit autem in comitatu Serenis-

---

[1]) Hor. Carm. IV, 7, vs. 9.

[2]) De Goyero nihil invenire potui. Francius in eius funere carmen condidit, cui titulus: *Jacobo Goyero, Hortorum et Florum amatori maximo, Immatura nimis morte e vita surrepto* (cf. *Francii Poemata*, 1697, pag. 238).

[3]) Franciscus Guyetus (1575—1655), Gallus, criticus subtilissimus, exemplaria auctorum Graecorum atque Latinorum notis manu scriptis adornavit, quae illo mortuo a viris quibusdam doctis prelo sunt mandatae.

Eius notas in Propertium B. nonnumquam in editione sua laudavit.

simi Electoris Brandeburgici) scripturum se mihi simulac Trajectum vestrum venisset; neque tamen quicquam hactenus ab illo. De schediis in Propertium nihil moneo; commodius de iis agemus coram. Vale, Vir Clarissime, cum uxore ac liberis lectissimis, et me, quod te facere gaudeo, amare perge. Salutem a nostro Francio.

Amstelodami. 20 Februar. 1689.

LVIII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Laetissimus ille nuncius, qui de capta Colonia Trajana [1]) heri aures animosque omnium publica perfudit laetitia, me quoque non leviter perculit, mi Graevi, etsi langueam nonnihil. Scripsi igitur epigramma quod vides [2]), scripturus fortasse longiusculum poëma, nisi et oportunitatis ac celeritatis gratiam aucuparer, et minus essem agilis ob eum, quem dixi, languorem. Id porro ipsum, quod scripsi, (ignosce audaciae inconsultae, cui tamen tu ipse semper favisti) offerri summopere cuperem Excellentissimo Dankelmanno sive eleganti manu exaratum, sive, quod mallem, typis descriptum. Quid fieri velis, quidve non velis, tui esto arbitrii. Si imprimendum censebis, refundam ego Halmae [3]) quod subducta ratione sibi deberi judicabit. Illud unice oro, ut, quicquid faciundum decreveris, fiat mature. Alioqui neque ipsa transmissione erit opus,

---

[1]) Urbs „Kaiserswerth," quam Galli occupaverant, ab Electore Brandeburgico capta est d. XXV mensis Iunii.

[2]) Est carmen: *In Nummum a Joanne Frederico Cramero explicatum*, *cujus epigraphe*: *Capta Caesaris Insula* (*Poem.*, pag. 360) Compositum est d. XXVIII Junii.

[3]) De Francisco Halma vide ad Epist. 119.

sed premetur cum reliquis meis versibus. Cramerus noster ubi terrarum degat si scirem, (et tamen sanctissime promiserat), non tam nullius essem frontis, ut hoc quicquid est oneris in te rejicerem. Apud nos quo minus edi jubeam, causa non una est. De quibus coram. Interim valere te jubeo, mi carissime Graevi, et, si mereri videor, Broukhusium tuum amare pergere.

Amstelod. 29 Junii. 16‘9.

LIX.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Nihil non tibi debeo, mi carissime pater; etiam nihil non tua causa volo. Nollem ita esset festinatum uti ego praeceperam; quid enim futurum fuisset de Colonia Trajana? Ego tamen rectum credideram. Hodie vero inspecto Pighii *Hercule Prodicio* [1]), (quod fortasse non fecissem nisi a te monitus) video crassum esse errorem, et cui inducendo nullum tectorium poëticum sufficiat. Irascor Trajano, qui cum tot colonias deduxerit, et sui temporis architectus fuerit maximus, potuisset et hoc oppidum exstruere, ne mihi periret carminis mei venustas. Sed tamen recte provisum est, ni fallor, et pro Trajano Furstenbergium arripui, Deorum atque hominnm odium pro amore quondam et deliciis universi generis humani. Illud *ex carcere* videor mihi defendere posse, si tanti esset. Sed utut

---

[1]) Stephanus Pighius (1520—1604), natus Campis in Transisalania, operam dedit litteris Lovanii, vixit Romae et scriba fuit Cardinalis Granvelle. Postea praeceptor filii Ducis Cliviae cum illo iterum Romam visebat, qua in urbe iuvenis a. 1575 obiit. In memoriam discipuli Pighius edidit librum: *Hercules Prodicius seu Principis Juventutis vita et peregrinatio. . . . . Antverpiae*, 1587.

defendam, non tamen desinet subobscurum esse, quocirca alium substitui versum, fortasse non infeliciorem. In Principis titulo si quid sit offensum, tui arbitrii correctio esto. Illud *Caesaris Insula*, quamvis minus placeat, retinui tamen, ne frigesceret oppositionis acumen in fine. Quae in adjuncta schedula continebantur, inserenda curavi gazettis crastinis, (ignosce huic voci) nam Harlemensium auctorem sive editorem qui homo sit ignoro. Meliuscule jam habeo ab hesterna potione medica, et deambulatione ac sole corpusculum exerceo. Tu vale, mi carissime Graevi, et me ex asse tuum amare perge.

Amstelodami, Calend. Julian. 1689.

Prodiit hic libellus cui titulus *Fecialis Gallus*, in quo multa bona de injustitia, violentia, etc. armorum Gallicorum, praesertim contra Germaniam et Caesarem. Eum tibi per otium inspectandum suaderem, nisi tam prodigiosis mendis conspurcatus esset a typographo. In fine adhortatio (?) est ad Germanos contra communem generis humani hostem longe vehementissima, sed et longe pulcerrima. Stylus quoque, quantum ea fert materia, satis probus, et erectus ac masculus. Auctor nondum innotuit; ipsum libellum ajunt Bruxellis esse editum. Salveat Cramerus, cui ego pridem excidi.

LX.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Magnas tibi gratias ago, Clarissime Graevi, majores etiam habeo pro tam dextre tamque nitide accurata epigrammatis mei impressione. Exemplaria quae superesse scribis dividi cupio inter amicos communes, aut si qui alii apud vos sunt quorum amicitiam ambiri a me debere

judicaveris. Perizonius simul ac venerit, faciam te certiorem. Francius odam scripsit [1]) ejusdem mecum argumenti. Eam arbitror nunc sub praelo esse. Mitto Fecialem Gallum, ut per otium legas, nam ut remittas nihil opus est. Eum stylo nimis acri animoque nimis moroso scriptum esse contendit ephemeridum Roterodamensium auctor Banagius [2]). Adeo insaniunt Galli amore suae gentis, quanquam ipsi laesi non leviter, ut velint regi suo nihil non per summam iniquitatem molienti papaver duntaxat et sesamum reponi. Quid facias istis hominibus? Jubeas libenter miseros esse. Nos autem bonosque omnes servet Deus a furore Gallorum. Tu vale Vir Clarissime, saeculi nostri decus, et me, quod facis, amare perge. Amstelodami, 7 Julii 1689.

61 [3]).

Jano Broukhusio
Theodorus Georgius Graevius [4]).

Mittit dissertationem Nicolai Beckmanni [5]), quam

---

[1]) *Frederico Tertio, Marchioni Brandeburgico, S. R. I. Octoviro, Caesaris Insula expugnata* (*Poem.*, pag. 318).

[2]) Henry Basnage de Beauval, natus a. 1656 Rothomagi, frater erat theologi celeberrimi Jacobi Basnage. Anno 1687 contulit se in Hollandiam, ubi causis dicendis operam dedit. Scripsit atque collegit per 22 annos (1687—1709) libros qui singulis mensibus prodierunt inscriptos: *Histoire des Ouvrages des Savans.* Obiit Basnage a. 1710 Hagae Comitum.

[3]) In Bibliotheca Traiectina.

[4]) Theodorus Georgius Graevius, Joannis Georgii filius, natus est a. 1669 et litteris atque scientiae iuris operam dedit Traiecti. D.XXVI Octobris 1691 lector eloquentiae et historiarum creatus anno sequenti obiit. Pater absolvit librum filii et a. 1697 edidit: *Callimachi Hymni, Epigrammata et Fragmenta, Graece et Latine, Ex recensione Theodori Graevii . . . . . Ultrajecti.*

[5]) Nicolaus Beckmann, Germanus, scientiam iuris

Broukhusius illi mutuam dedit. Nob. Rhee [1]) Ictum ei commendat. „Thomasius [2]) noster Wittenbergae nunc docet Physicam."

Ultrajecti, a. d. XXV Augusti CIƆIƆCLXXXIX.

62 [3]).

Jano Broukhusio
E. C. B. Danckelmannus.

„Accipio tuam excusationem, quam interprete Francio, V. Cl., affers, quare Cliviam nuper meo invitatu non veneris." Venies, spero, proximo vere, si in Clivios redierit Serenissimus Octovir.... „Saepe miror, qui Tu, Vir Doctissime, homo, uti accepi, rei militari ab ineunte aetate deditus, nullo magistro, tuis ipsius auspiciis, tantos in ea arte progressus potueris facere." ... Octovir „elegantissimum Epigramma, quo primam Ejus Victoriam, capta Caesaris Insula, partam celebrasti, et legit et valde probavit, sibique curae fore, pro sua incredibili benignitate, ostendit, ut quam in Ipsius rebus praeclare gestis praedicandis posuisti operam aliquo beneficii genere remuneretur."

Berolini, a. d. XXX Nov. CIƆIƆCLXXXIX Juliani st.

---

professus est Londini Gothorum. Contra Pufendorfium disputavit.

[1]) Henricus a Rhee, Batavo-Duranus, a. 1661 in Academia Traiectina litteris operam dedit. Petrus Burmannus Antonii et Gulielmi van Rhee mentionem fecit (cf. *Poemata*, 1746, pag. 169).

[2]) Fortasse Godofredus Thomasius. Vide ad Epist. 13.

[3]) In Bibliotheca Lugdunensi.

LXIII [1]).

Jacobo Perizonio
Janus Broukhusius.

Hae, quas meis ad te includo, literae, Vir Clarissime atque amicissime, e Gallia veniunt, ab homine quem adversa belli alea istic inter captivos detinet. Vetus est meus commilito, et cui ob communia arctae amicitiae sacra nihil negare sustineo: quapropter ad te ire visum est, qui et mihi negas nihil. Febricula, quam hic contraxeras, jam pridem te liberatum fuisse augurat animus, certe vovet. Desidero scire quo animo librum tuum exceperit Amplissimus [2]), et num quod moliatur contra: vix enim est ut credam de causa sua, ut ut afflictissima et profligatissima, desperare tot stipendiorum militem: adderem et, tot palmarum, nisi me revocaret testis conscientia. A Mensinga nostro nihil hactenus vidi literarum: nec tamen dubito quin optimae fidei homini commiserim Propertii codicem. Tu, mi Perizoni, si quando ad illum scribis, mentionem aliquam ejus rei fac injicias. Velim quoque cogites, sed cum commodo tuo, de notatis ad notas meas Sannazarianas: quae quamvis sint leviculae, nollem tamen

---

1) In Bibliotheca Lugdunensi.

2) Nempe Ulricus Huber (1636—1694), vir iuris scientiae peritissimus et collega Perizonii in Academia Franequerana. Inter illos viros Clarissimos, certandi cupidissimos, acerrima rixa orta est de significatione vocabuli *praetorium*, quod legitur in Pauli Epistola ad Phil., 1, 13. Huberus a. 1688 illa de re librum edidit; Perizonius eodem anno respondit et a. 1690 alterum librum prelo mandavit, cui titulus: *Abstersio censurae Huberianae in nuperas responsiones Iac. Perizonii ad librum singularem Ulr. Huberi de Praetorio*, *Franeq.*
De illo libro Bronkhusius loquitur.

quicquam haerere quod corrigi possit. Cl. Eckio [1]) plurimam a me salutem. Vale mi Perizoni, et Broukhusium tuum amare perge.

Amstelodami, 27 Septemb. 1690.

LXIV [2]).

Bergio suo
Broukhusius.

Ad amantissimas literas tuas, Trajecto ad me datas, respondi jam pridem, nec tamen eas ita uti decet traditas tibi fuisse induci possum ut credam. Quippe cum nescirem in qua parte urbis domicilium tibi elegisses, nihil nisi nomen iis tuum incripsi, et fortasse navicularius hanc ipsam ob caussam noluerit se fatigare inquisitione frustranea. Perierint sane illae, dum tu vivas modo et valeas. Neque vero metuo ne inciderint in manus improbas: nihil enim continebant, quod non de vulgo quivis posset resciscere absque nostro discrimine. Erat autem tum temporis Marsevenius noster rure suo, cui gratissimus hospes venire potuisses, si scivisses sat mature. De meo ad vos excursu nihil est quod dicam; tenent me libri mei et valetudo minus commoda. Te vero expectamus omnes, te omnes desideramus. Scis hospitium tibi apud me paratum, neque ignoras hospitis candorem, et bene de te merendi prolixum studium. Quid differs iter tam paucarum horarum, et inducias

---

[1]) Cornelius van Eck (1662—1732) Lugduni iuris doctor creatus et inde ab anno 1686 scientiam iuris professus in Academia Franequerana a. 1693 idem munus suscepit Traiecti. Multa opera iuridica et carmina nonnulla Latina edidit.

[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.

istas hiemales cur non donas amiculis tuis? Vivamus, mi frater, dum vivimus, id est, fruamur alter altero dum licet. Instabit brevi recidivus belli furor, nec tam beatis nobis esse licebit, ubi iterum Bellona cruento isto insonuerit flagello. Juro tibi, jam aliquot sunt menses dum te hic expecto, nec vero ego solus, sed et omnes ii, qui te incolumem ex illa nupera laniena evasisse mecum gaudent [1]). Veni, Bergi, veni, neque enim desinam flagitare, antequam praesens praesentem amplexatus fuero, antequam animum et mentem pavero, ceu prius, dulcissima tua praesentia, et longa periculorum commemoratione e quibus te clementissimus Deus eripuit. Vale, mi frater, et me amare perge. Salutem a me Graeviis nostris, ac Harscampio, Solingio, et Cramero, si videtis. Iterum vale.

Amstelodami. 1690. sub ipsam
horam (quae est septima vespertina)
natalis mei primi post quadragesimum,
20 Novemb. quem mihi felicem faxit
Deus O. M.

LXV [2]).

Bergio suo
Broukhusius.

Sollicitus sum super valetudine tua, mi frater, etenim si meliuscule haberes, oportebat te jam mecum hic esse, et inter amiculos oblivisci aestivarum aerumnarum apud luculentum ignem. Spero tamen omnia meliora. Marsevenius, non minus ac ego, valde desi-

---

[1]) Videtur Bergius interfuisse pugnae cruentae apud Fleury (Kal. Iuniis 1690).

[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.

derat praesentiam tuam. Auctor itaque sum, si absque incommodo tuo fieri potest, ut quam primum ad nos transvoles, id est, antequam ex Anglia Rex veniat, quo quidem tempore haud illubenter te cărituri sumus, modo stetur promissis quae tot ac tanta habes. Est autem quod te rogem, mi frater, nimirum ut tecum feras manuscriptum Horatii codicem ex penu Graeviano. Eo usus sum, ut nosti, ante annos aliquot, et quidem non indiligenter: nunc tamen video superesse etiam nunc aliquid curis secundis, nempe ut paulo attentius enotem diversitatem orthographiae, quae in illo libro longe est alia atque in vulgatis. Hanc mihi curam injecit industria Virgiliani poëmatis consideratio ex membranis vetustis Francii nostri, oppido profecto optimis, et quae mihi liquido persuaserunt quanti fieri debeat emendatissima Nic. Heinsii editio. De iis fabulabimur coram, et quidem brevi, nisi tu abnuas. Nunc Graevium nostrum a me saluta, et ut valeas diligenter curato, mi carissime frater.

Amstelodami, 8 Decemb. 1690.

LXVI [1]).

Bergio suo
Broukhusius.

Valde sollicitum me habuit, mi frater, expectatio literarum tuarum, neque persuadere mihi audebam salvum te atque incolumem Trajectum pervenisse. Nunc timor omnis abest, nisi quod adhuc non satis silentio de valetudine tua acquiescere possum. Cur enim non

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

addis, quomodo tibi conveniat cum pertinace isto malo? quae sit super eo Medicorum apud vos sententia? quando sis ad me reversurus? Quanquam, spero, dabit et his finem aliquem Deus [1]). Multum risi super negotio Geldsakkiano. Quare enim non riderem, cum viderim etiam humanos Joves aliquando pati aliquid humani, ac spe sua excidere; te vero nihil perdidisse ex eo de quo nihil tibi promiseras? De ista altera cohorte, quam Patroni tui tibi destinaverant, merito indignor benignissima optimorum virorum vota tam subito decollasse. Nec tamen ullo modo adducor ut dubitem de tam prolixa erga te benevolentia. Iterum illi adnitentur, et aliquando perficient. Nihil me movet quod Dido mea [2]) hoc potissimum tempore cogitet de rebus repetundis, nec movebor, etiamsi advolvatur Regis genibus, cum in lite pure civili, ut pragmatici loquuntur, non soleat esse locus istiusmodi supplicationibus, et sit integrum mihi, si in hoc foro caussa cadam, provocare ad aliud superius. De latronibus recte mones. Paucorum versuum jactura non est tanti, ut intempestivis

---

[1]) Bergius eodem anno obiit (vide Epist. 70, LXXI).

[2]) Significat viduam Joannis Antonidis Goesani (den. a. 1684), Susannam Bormans. Despondit sibi viduam amici Broukhusius et d. XVI Maii 1686 sponsus et sponsa rite inscripti sunt in libro, qui continet nomina illorum, quibus in animo est brevi matrimonium contrahere. Sed sponsus audivit sponsae vitam non integram fuisse moresque eius mulieris esse depravatos. Noluit igitur illam xorem ducere, sed Susanna, nuptiarum appetens, poposcit ut maneret poëta in pactione nuptiali. Actionem illi intendit et multis annis interiectis Broukhusius causa sua cecidit (vide ad Epist. LXXXVII). Susannam tamen non in matrimonium duxit et caelebs Broukhusius noster obiit. De illo matrimonio non contracto, deque lite, quae ex hac re sequebatur, egerunt I. G. Frederiks (vide: *De Nederlandsche Spectator*, 1887, pag. 427), et J. van Vloten (l.l., 1881, pag. 403).

jocis irritem malorum crabronum pessimum genus. Est et alioqui festiva nobis domi ejus annonae copia, neque verendum ne Musam silentio perdamus, nec nos Phoebus respiciat. Serenissimus Octo Vir Brandeburgicus augusta ac plane Regia liberalitate remuneratus est, non dicam carmen meum, sed animum potius illius gloriae decantandae cupidissimum, atque utinam parem. Misit numismata ex auro sex, quorum duo primitias Martis Brandeburgici exprimunt, Caesaris insulam, duo alia victoriam Bonnensem [1]), tertium par homagium a populis Borussiae Regiomonti praestitum. Accedunt ejusdem commatis altera sex ex argento, una cum literis Excellentissimi Dankelmanni, invidenda humanitate supra sortem meam officiosis. Eandem favoris Electoralis benignitatem sensit noster Francius. Haec velim amicis communibus inprimis autem Cramero, impertias. Tu vale, mi carissime frater, et quid de reditu tuo sperare debeam fac sciam quam primum. Iterum vale, ac me, quod facis, amare perge.

Amstelod. 22 Januar. 1691.

LXVII [2]).

Viro Eruditionis fama Celeberrimo Janus Broukhusius.

Munuscula tua, mi Perizoni, uti et Cl. Eckii elegantissimam Elegiam, eo quo par erat animo accepi, id est, grato atque lubente. Sed quod me Censorem facis versuum tuorum, vereor ut facias bono cum Musarum suffragio. Nam quanquam negare nolo, crebra et legendi et scribendi exercitatione aliquid in hac arte

---

[1]) Germani d. XII Oct. 1689 Bonnam a Gallis occupatam ceperunt.

[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.

me esse consecutum, illa tamen quae a te prodeunt minime sunt ejus monetae, ut ad meum examen revocari vel possint, vel debeant [1]. Ingenue dico, qui mos est meus; placet utrumque carmen. Tamen, quia ita postulas, attentiore cura illud quod nondum est editum expendi. Nisi versareris in re sacra, ego *Mammonam* istum in malam rem ire juberem cum insuavi illo suo nomine. Nunc aliud suadet usus et Sacrae paginae auctoritas. Sub finem est, *velut Oedipus alter:* habesne exemplum, quo praeeunte ultimam in Oedi*pus* corripias? Mihi nullum succurrit: sed nec ullum scio ubi producatur. Puto tamen non male corripi, quia vox ista in genitivo crescit, et penultimam tum brevem habet. Ita enim fieri debere tradunt magistri quidam, sed nescio quam recte. Caetera omnia placent, (iterum dico) et, puto, haec cum scriberes, recens eras a lectione Sannazarii, cujus rotunditatem in claudendo pentametro videor mihi deprehendere plus semel. Quae de concubitu Jovis cum Niobe mones, recte mones. Dixi Gentis Borgiae originem inde usque repeti [2]: sed debueram addidisse, hanc fabulam nusquam nisi apud Herc. Strozzam [3] reperiri, adeoque niti illius unius fide, cujus ea scaenae tum temporis inserviebat. Quod Mureti carmen *Epigramma* vocaverim [4], in eo

---

[1]) Aliud dixit, aliud sensit Broukhusius de Perizonii carminibus. Quae cum postea Francio adiuvante in risum verteret, inde acerrima rixa orta est inter poëtas Amstelaedamenses et professorem Leidensem, de qua brevi, spero, alio loco agam.

[2]) Cf. *Actii Sinceri Sannazarii . . Opera. Ex secundis curis*, 1728, pag. 189.

[3]) Ercole Strozzi (1471—1508), Italus, celeberrimus fuit poëta Latinus, cuius carmina a. 1543 Venetiis prelo mandata sunt.

[4]) L.l., pag. 207, non de epigrammate, sed de car-

me fefellit memoria, cui interdum plus quam par est dare soleo. Et tamen auctorem habeo Janum Nicium Erythraeum [1]), qui in Pinacothecae primae imagine quinta itidem, uti ego, *epigramma* vocat. Unde quis argutari possit, praeter ista Trabeae et Attio afficta fragmenta, Scaligerum [2]) plus semel a Mureto hoc genere fuci fuisse delusum. Sed nolo errorem defendere: praesertim cum videam me hanc ipsam de Mureto historiolam mea ipsius manu ad marginem Varronis mei adnotasse jam pridem. Quare, ut dixi, memoriae imputabitur quod est erratum. Amabo, mi Perizoni, si quid per otium ad Notas istas meas notasti, fac et ego habeam. Erit fortasse unde alteram editionem procudam, et meliorem et locupletiorem. De Hubero [3]) quid dicam? Superat ejus insania (ne dicam furor) quantum ego insanorum hominum unquam vidi. Miseret me tui, qui bonas horas perdere necesse habueris in re nihili. Et tamen Cerbero isti objicienda fuit haec offa, ut semel bona fide dormiat. Nihil est eo homine cerebrosius, impudentius, maledicentius. Quod si res ista (ut sane debet) vel pro ipso astrui debet auctoritate veterum scriptorum, vel iisdem auctoribus sen-

---

mine Mureti sermo est. Marcus Antonius Muretus (1526—1585), Gallus, diu in Italia vixit, Romae docuit linguam Graecam et Latinam, philosophiam et scientiam iuris. Edidit Orationes, Epistolas, Varias lectiones, recognovit Catullum, Tibullum, Propertium, Senecam.

[1]) Giovanni Vittorio Rossi (1577—1647), Romanus, multa edidit opera. Eius liber: *Pinacotheca imaginum illustrium virorum qui auctore superstite diem suum obierunt*, prodiit a. 1643—1648.

[2]) In nota ad carmen Sannazarii (l.l.) legimus: „talem fucum cum Josepho Scaligero fecisset aliquando Muretus, id est, carmen recens a se compositum venditasset pro vetere."

[3]) Vide ad Epist. LXIII.

tentia tua profligari, quidni validos producit ac bonos praedes (?) [1]), ut decisa ex aequo lite pax tandem sit apud Musas Franequeranas? Id vero, me spondente, nunquam faciet homo rabula, unice natus ad serendas contentiones, easque pertinacissime fovendas. Bidlonis Orationem [2]) an legisti? Non, opinor: nec suadeam. Si tamen legeris, ecce Epigramma, quo homo quidem non valde tristis gratulatur saeculo suo tam invidendum thesaurum [3]):

O pus, o vomicae, o lutum lutosum,
O linguae grave dedecus Latinae
Tonsoris Licini cacationes!
O styli macies, et inficeta
Sartago! o Gothicae nitor loquelae!
Haec audis patienter, et veneno
Tali pasceris, Haga, nec pudebit?
Hunc nostrae cupiunt habere Athenae?
Ite incommoda saeculi: perite
Tonsoris Licini cacationes,
Tergendis natibus dicata charta.

Vale, mi jucundissime Perizoni, et ride. Dabam Amstelodami 26 Martii 1691.

Ultima in Oedi*pus* producitur apud Senecam, seu quicunque est auctor Phoenissarum, vs. 313. *His Oedipus Aegea tranabit freta.* Tu cogita, mi Perizoni, et me ama.

---

1) Fortasse *praesides* legendum est.
2) De Godefredo Bidloo vide ad Epist. 102. Orationem habuit mense Januarii de felici adventu ..... Regis Gulielmi III.
3) Illud epigramma legimus in *Poem.*, pag. 267. Eo loco inscribitur: *In Licinium tonsorem.*

LXVIII.

Theodoro Janssonio ab Almelooveen Janus Broukhusius.

Epigrammata et poëmata vetera commode nunc sum nactus, Vir Clarissime, quae tibi muneri mitto, sed ea lege, ut memineris in eo nihil censeri debere praeter meum animum. Videbis haec qualia primum edidit Pithoeus [1] satis maculosa et imperfecta: nec semel profecto mirari subit, post tot correctiones magnorum virorum, hic illic inveniundas, neminem hactenus cogitasse de castiore editione. Utinam id fiat vel in solo Pervigilio Veneris! Posse autem fieri nec sane multo labore, non semel inter nos convenit. Et videbaris tu olim haud valde abhorrere ab hac qualicunque molestia: ad quam exhauriendam incitarem denuo, si mihi constaret tantum tibi vacare ab aliis negotiis, quibus rem literariam adjuvare nunquam desistis. Est penes Francium exemplar plenum notis, obelis, restitutionibus, a manu P. Scriverii [2]. Sed de his plenius aliquando coram. Tu vale, Vir Clarrissime, et Broukhusium tuum amare perge.

Amstelodami, 9 April. 1691.

Munkerum nostrum si videris, plurimam ei meo nomine salutem dicito.

---

[1]) Petrus Pithoeus (1539—1596), Gallus, vir eruditissimus, Persium atque Phaedrum edidit et permulta scripsit opera. Recognovit *Pervigilium Veneris*.

[2]) Petrus Scriverius (1576—1660), Harlemensis, Lugduni operam dedit litteris et postea in illa urbe sedem collocavit. Edidit Senecae tragoedias, Martialem, Vegetium, multos libros historicos in lucem emisit.

LXIX.

Theodoro Janssonio ab Almeloveen
Janus Broukhusius.

Quod tardiuscule ad tuas respondeo, vir Clarrissime, dabis et occupationibus nonnullis, et, quod verius est, naturali cuidam desidiae, quae me non raro a scriptione retrahit. De versibus novis cudendis (ignosce tam aperte loquenti) non est quod meam operam sollicites: sum enim paulo alienior ab isto lautitiarum genere. Dicam igitur de iis, quos mittis [1]), id quod sentio. In priore, *Moenia Cattus, opes dedit Isala, juraque Florens*, plane nihil mutatum velim. Complectitur enim tria illa quae sciri potissimum vultis, loci conditorem, opportunitatem atque incrementa, et eorum caussas, nempe privilegia a Florentio Comite indulta. Nec est quod te moveat vox *jura*, quae pro privilegiis saepe ponitur apud probos scriptores. Ovidius, Epist. Sapphus [2]): *Hanc legem locus ille tenet*, de Leucade petra loquens. Idemque alibi [3]): *Haec ex lege loci commoda Circus habet.* Propertius etiam paulo clarius [4]): *Hoc mihi perpetuum jus est, quod solus amator, Nec cito desisto, nec temere incipio.* Itaque, ut dixi, nihil mutandum. Alter ille non incommode ita refingi posse videtur: *Imperii sedes et bello et pace Jacobae;* vel ita, si mavis: *Imperii sedes fortunarumque Jacobae*, quod ego mallem. Wetsteinius noster in animo habet novam Phaedri editionem, quam expolitam optaret observatio-

---

[1]) Videtur Almelovenius carmen scripsisse in urbem Goudam.

[2]) Vs. 171.

[3]) *Am.*, III, 2, vs. 20.

[4]) III, 13, vs. 35.

nibus hominum doctorum, sed quae hactenus lucem nondum viderint, ne fiat recocta crambe. Tu, mi Almeloveni, si viri consilium probas, et juvare potes, amabo fac sciam. Tum et illud adde, quid mentis tibi sit super Epistolis clarorum virorum, de quibus nonnihil in superioribus ad me tuis. Quae cum jam non sint ad manum, videor mihi tum temporis non satis intellexisse. Quod si tale quid colligis ut in publicum edas, spem tibi facio luculenti auctarii. Vale Vir Clarrissime, et me, quod facis, amare perge. Amstelodami, 3 Maji 1691.

70 [1]).

Jano Broukhusio
Joannes Georgius Graevius.

Rogat Broukhusium, ut mittat editionem Basileensem Ciceronis. Neque habet Aldinam editionem, qua usus est Nicotius [2]). „Memini Bergium beatum dixisse, se Bredae invenisse tomum hujus scriptoris satis vetustum, cujus copiam mihi facere decreverat. Sed fata nobis amicum eripuerunt. Inter libros ejus cum inveneris, mei menineris."

Traj. d. XXIII Iul. Dionys. CIƆIƆCXCI.

LXXI.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Ciceronem meum, quem petis, en tibi, Vir Clarissime; qui utinam tibi usui esse possit, quo et deinde

---

1) In Bibliotheca Lugdunensi.

2) Noscio quem virum doctum Graevius significare velit, nisi sermo sit de Petro Nicolio, qui a. 1659 Lutetiae edidit libellum *De la Beauté Poëtique*.

fruatur respublica literaria. Misissem citius, nisi decrevissem huic homini, quem nosti, eam provinciam imponere, quo tutius ad te perveniret. Antiquam illam Aldi editionem nunquam oculis usurpavi. Neque quid Francius librorum veterum habeat, satis scio. Eum dicunt ab urbe abesse, quae caussa fuit quo minus literas ipsi tuas exhibuerim. Beatum nostrum Bergium memini narrare, invenisse se Bredae exemplar operum philosophicorum Ciceronis, in quo, cum aliis, essent notae Camerarii [1]). Unde credere libet, nec fortasse vane, esse eandem editionem cum mea quam mitto. Quidquid sit, ejus libri usum non negabit tibi Bootius; receperat enim in se curam servandae bibliothecae, donec a Knittelio [2]) certior fieret quid constituisset Bergii mater. Si vero adhuc apud hospitem remanserint libri, decrevi ipse Trajectum venire, simulac sciero quid super adeunda mea haereditate transactum fuerit. Signiferum de Haas, quem Bergio successurum in munere optionis omnes amici sperabamus, idque non sine multa similitudine veri, spe sua ac nostra excidisse invitus didici. Velim scire quis sit ille beatulus qui Hasio praeferri meruerit. Id te docere potest Bootius, cui plurimam salutem dico. Vale Vir praestantissime, et me amare perge. Amstelodami. VIII Augusti. 1691.

---

1) Joachim Camerarius (1500—1574), Germanus, amicus Philippi Melanchthonis, professor fuit Norimbergae, Tubingae, Lipsiae. Multos auctores Graecos atque Latinos edidit.

2) Et Bootium et Knittelium ignoro.

LXXII.

Theod. Janssonio ab Almelooveen Janus Broukhusius.

Elegantem tuum libellum, Vir Clarissime, quem recte Promissam, sed tamen Latentem Bibliothecam inscribis [1], et accepi recte, et non sine voluptate totum statim evolvi. Nascebantur quaedam sub manu [2], ut fit, in ipsa lectione, quae tibi una cum hisce literis transmittere visum fuit. Non quod iis laborem tuum valde juvari putem, sed ut videas quam non perfunctorie legerim Bibliothecam tuam. De Epistolis, quae apud Brantium [3]) servantur, scio me mentionem injecisse: sed quia tu super eo negotio nihil respondebas, suspicabar deesse tibí otium ad moliendam et suscipiendam editionem operis non inutilis. Nunc si animus est pergere, ac perficere eam telam, agam cum Brantio, simul ac responsum tuum accepero, et videbo quid inde nobis sit sperandum. Quae vero *carmina anonyma* collegeris, non satis percipio. Quare gratam mihi rem feceris, si mentem tùam aperueris aliquanto clarius. Neque deero, ubicumque opera mea tibi usui esse poterit. Ketelii [4]) epigramma valde mihi placuit. Cur ille non

---

[1]) *Bibliotheca promissa et latens. Acc. G. H. Velschii de scriptis suis ineditis epist. Goudae* . . . . 1688.

[2]) Carmen illud in Broukhusii *Poem.* non legitur.

[3]) Joannes Brandt (1660—1708), Gerardi filius, pastor fuit apud Remonstrantes et aliis in urbibus et Hagae Comitum et Amstelaedami. Carmina Belgica composuit et edidit a. 1702 librum: *Clarorum virorum epistolae centum ineditae, de vario eruditionis genere; e Musaeo Io. Brandt. Amstelaed.*

Broukhusius librum carmine celebravit (cf. *Poem.*, pag. 247).

[4]) Richard Ketel a. 1701 erat Rector Gymnasii Goudani. In Bibliotheca Traiectina servantur nonnulla Ketelii carmina Latina manu scripta.

saepius prodit in publicum, cum occultae musices nullus sit respectus? Vale, Vir Clarissime, et diu fruere ingenii tui laudibus.

Amstelodami, 14 Decemb. 1691.

73.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Dolorem significat ob mortem filii Graevii. Carmen mittit funebre [1]).

Amstelodami, XXV. Januarii. A. CIↃIↃCIIXC [2]).

LXXIV.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Admodum mihi gratum est, Vir Clarissime, nec mentior, non displicuisse qualemcumque opellam meam, et habeo quod Musis meis imputem, postquam tuum calculum tam luculento testimonio mereri sunt visae. Versus iste, *Quum superet fati litora et ipsa dolor* [3]), habet, ut verum dicam, non nihil obscuritatis, neque tamen tantum, quin illustrari queat haud difficulter. Hoc volui: moerorem tuum eo usque increvisse, ut post

---

[1]) *In funere Theodori Georgii Graevii, ad Joannem Georgium Graevium Patrem.* (*Poem.*, pag 55.)

[2]) In hac et in sequenti epistola B. non recte diem ascripsit. Non enim a. 1688, sed a. 1692 Theod. Georg. Graevius obiit (vide: *Io. Georgii Graevii Praefationes et Epistolae* CXX . . . . *Hamburgi et Lipsiae*, . . . 1713, pag. 501). Sermonem non esse de alio Graevii filio apparet ex epistola sequenti, ubi multa verba, quae B. in carmine funebri Theod. Georg. Graevii usurpavit, commemorantur.

[3]) Vs. 4 carminis funebris. B. versum non mutavit.

ipsam etiam mortem non desinat quaerere amissum filium. *Fatum* apud Propertium meum ponitur pro *orco*, L. 2[1]): *Vna ratis fati nostros portabit amores. Superare* autem est trajicere. *Litora* porro sunt ripae paludis Stygiae. Utrumque apud Virgilium est L. 6 [2]): *Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta Transportare prius*, et mox [3]): *Centum errant annos, volitantque haec litora circum.* Ita, puto, non incommode exponi potest versus subobscurior visus. Nec libenter mutaverim, nisi tu dissentis. De τῷ *vultu* non eadem res est. Nec succurrunt nunc loca, quibus defendam. Verum cum *vultus* pro tota oris forma ac facie dicatur, non videor mihi valde peccasse, cum vultum flori dedi, qui fuerit olim puer speciosus. Id si satis non est, reponi potest *forma moriente*, quamquam hoc mihi languidiusculum videatur [4]). Sed rem omnem tui, mi pater, arbitrii facio. Versum autem istum *Tutatur celebres Pallas alumna viros*, si satis in tempore meae ad te literae perferentur, ita constitui velim, *Eximit insignes Pallas ab arte viros* [5]). Caeterum metuo ne Lucumonibus quibusdam videar nimis poëtice, id est, ut rupices isti interpretantur, parum Christiane sensisse de statu animarum. Id quantum absit a mea pietate, tu, mi Graevi, unus omnium optime nosti. Nec tamen valde me movebunt judicia hominum semidoctorum, quos procul a sacris suis abesse jussit Elegantia Romana. Tibi si me ac mea probavero, omnia summa consecutus mihi videbor.

---

[1]) L. II, 21, vs. 39 = L. III, 25, vs. 5.

[2]) Vs. 327.

[3]) Vs. 329.

[4]) Retinuit B. τῷ *vultu*, vs. 15.

[5]) Ita nunc legitur versus.

Neque immerito. Vale Vir praestantissime, et Broukhusium tuum amare perge.

Amstelodami. XXVII Januarii. A. CIƆIƆCIIXC [1]).

LXXV.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Pro transmissis elegiae meae exemplis gratias tibi, Vir Clarissime, quas par est ago; obsecro autem, nisi grave est, ut alia sex aut septem mittas, quibus expleam desiderium amicorum id petentium. De Francio quod rogas, rem tibi omnem tribus verbis expediam [2]). Vocatus ille Leidam fuit a Nobilissimis Academiae Curatoribus, ut literas ibi atque eloquentiam doceret stipendio mille sexcentorum florenorum, idque invitatione tam honesta, tamque liberali, ut nihil ultra desiderari a quoquam potuisset. Cum vero absque impetrato commeatu nihil posset statuere, heri Curatoribus nostri Gymnasii negotium aperuit suum; hodie mane jussus in curia apparere coram Consulibus, invitatus est ut maneret in urbe patria, nec desineret bene mereri de juventute Amstelodamensi, adjectis ad pristinam conditionem quadringentis annuis florenis, ita decernente, unanimi consensu, toto Senatu. Noluit ipse resistere voluntati eorum quibus jam pridem multa debet; itaque pergam ego frui praesentia carissimi capitis. De Henninio numquid inaudiisti? Is Hagae nuper fuit, et quoniam non nimis austere accipiebatur ab amplissimo Alewinio [3]),

[1]) Vide ad Epist. LXXIII.

[2]) Vide de hac re: *Illustris Amstelodamensium Athenaei Memorabilia* Davidis Jacobi van Lennep, 1832, pag. 164.

[3]) Fortasse Abraham Alewijn (1642—1725), cui opera forensis mandata erat a Societate Indiae Orientalis.

non dubitavit publice prae se ferre spem opimam quam fovebat cathedrae Lugdunensis. Si aliquando Persium sit editurus, nam is vulgo cum Juvenale jungitur [1]), ipsa experientia edoctus pulcerrime intelliget, quantum sit in rebus inane. Vale Vir Clarissime, et Broukhusium tuum amare perge. Amstelodami. 25 Februar. 1692.

LXXVI.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Libros tuos, amicissime Graevi, quos petebas nuper, jam tandem mitto, nec potui maturius, eo quod Burgius [2]) aliquot dies rure se continuit, et aute biduum demum rediit domum. Habes et literas a Winio [3]). De tuis cum Heinsio diatribis super Propertio utinam cogitare velis, mi pater; ea tamen lege, ut id fiat cum commodo tuo. Heinsii nomen alterius cujusdam mortalis me monet, quem id ajunt serio agere, ut celeberrimae famae trifurcifer D. Bidloo creetur Historiographus Ordinum Hollandiae [4]). Quod si Nisa Mopso dabitur, quid non speremus amantes [5])? Sed fortasse jam eo ventum est, ut saeculum hoc nostrum virtutibus suis dignum nancisci debeat praeconem. Non equidem invideo, neque hederas meas splendidis istis aulae fumis mutatas velim,

Quippe cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra [6]).

De Petronio ecquid inaudiisti? Vehementer optarim, rupisse jam carceres, et quod venale habet propalam ostentare. Aut valde ego fallor, aut Cumano isti deri-

---

[1]) Henninius a. 1685 Iuvenalis Satiras edidit.
[2]) Ignoro hominem.
[3]) Nescio quis fuerit.
[4]) Illa cura medico celeberrimo non est mandata.
[5]) Virg., Ecl. 8, vs. 26.
[6]) Hor., Ep., II, 2, vs. 78.

pietur pellis leonina, qua speciosus per ora vulgi incedere gestit, Galli corvi subventaneus foetus. Amplissimo Voetio et Heemstedio [1]) salutem et officia mea, si non est grave. Vale Musarum ac meum columen, et Broukhusium tuum, quod te facere unice gaudeo, amare perge. Amstelodami. 18 April: 1692.

LXXVII.

Theodoro Jansonio ab Almelooveen
Janus Broukhusius.

Legi his diebus M. A. Bonciarii [2]) Epistolas, viri diserti, et Muretum praeceptorem non infeliciter referentis. Is narrat (pag. 316) ab homine Gallo indicium sibi esse factum Epigrammatum Latinorum veterum, quae fuerint inventa in monasterio quodam apud Arvernos, in quibus et hoc ipsum, cujus tibi exemplum mitto. Utrum sit vetus, necne, non audet decernere. Tu, mi Almeloveni, videbis an augere debeat syllogen tuam. Epistolas Bonciarii si non habes, libenter in tuam gratiam exscribam eam, in qua ille de hoc agit epigrammate: si habes, nihil mihi hodie periit praeter ducentarum literarum moram. Ego, ut verbo dicam, antiquum non puto: et dabo, ubi tibi visum fuerit, rationem. De Petronio Roterodamensi ecquid inaudiisti? Vellem jam prodire tantum musteum foetum, ut nobis expendere liceret Neroniani temporis Gallicismos, rem sane eo minus contemnendam quo

[1]) Voetii atque Heemstedii, amicorum Graevii, saepius in epistolis professoris Traiectini ad Francium mentio fit.

[2]) Marc-Antonio Bonciario (1555—1616), Italus, edidit nonnulla opera Latina. Eius *Epistolae in XII libros*.... prodierunt a. 1603 Perusiae.

magis ratam. Vale Vir Clarissime, et me, quod facis, amare perge.

Amstelodami. 11 Maji. 1692.

LXXVIII.

Theodoro Jansonio ab Almelooveen
Janus Broukhusius.

Ex diuturno silentio tuo, Vir amicissime, nihil boni jam pridem augurabatur animus. Sed bene est quod convaluisti, quodque vim suam tempestive remiserit morbus non semper innoxius. Annitere porro ut valeas, neque te nimium macera intempestivis lucubrationibus. Nam cui quaeso bono ista e literis sive gloriola sive delectatio, si non nisi cum dispendio bonae valetudinis haberi potest? Liceat et nobis vivere, cum tot vivant alii neque valde meliores, neque valde utiliores rebus Musicis. Dictionarii Critici Pericula [1]) vidi, et legi multa cum voluptate. Utinam auctor ille (Baelium [2]) esse perhibent) in suscepto tam utili labore pergat, et magnum nobis excudat volumen! Magnum autem esse necessario debet, cum in quorumlibet scriptorum errores inquirere statuerit. Vix mihi videtur decem hominum vita, etiam longissima, sufficere posse tanto operi: praesertim si modio tam non parco singula lectori suo

[1]) Mense Maio a. 1692 Bayle edidit: *Projet et Fragmens d'un Dictionaire Critique. A Rotterdam chez Reinier Leers.* De hoc libello B. agit.

[2]) Pierre Bayle (1647—1706), Gallus, vir eruditisimus, a. 1675 professor eloquentiae creatus est Sedani. Academia Sedanensi a Rege Christianissimo sublata contulit se in patriam nostram. In Athenaeo Roterodamensi fuit professor philosophiae atque eloquentiae; a. 1693 munus deponens satis illi otii erat ad scribendum librum illum celeberrimum, *Dictionnaire historique et critique,* quem a. 1699 in lucem emisit.

admetiri velint. Laudo interim pulcerrimum eruditi viri consilium, quo sane nullum aliud vel fructuosius vel delectabilius concipi possit, modo res non esset laboris nimium vasti, infiniti, et vix cuiquam exhauriendi. Bonciarii Epistolas mitterem una cum his literis, si satis fidere auderem fidei nautarum. Mittam tamen ubi volueris, et hominem cui tradam certum indicaveris. Interim de Bonciario consulere poteris Janum Nicium Erythraeum, Pinacothecâ primâ, numero 53, pag. 98, et Morhofium [1]), L. 1, Polyhist. Liter., c. 23, p. 287. Quos versus M. Furio Bibaculo adscripsit Vossius, ii sunt opinor A. Furii Antiatis, familiaris Q. Catuli Cos. Exstant quaedam ex ejus Annalibus fragmenta, quae in suum opus Virgilium transtulisse notavit Macrobius, L. 6., Saturn., c. 1. Quibus si componas ea quae leguntur apud Gellium, L. 18, c. 11, non poteris inficiari quin ejusdem ac unius omnia sint auctoris. *Veterem poëtam* ibi Gellius vocat. Ita vero Macrobius: „Quod si haec societas et rerum communio poetis scriptoribusque omnibus inter se exercenda concessa est; quis fraudi Virgilio vortat, si ad excolendum se quaedam ab antiquioribus mutuatus sit? cui etiam gratia habenda est, quod nonnulla in opus suum, quod aeterno mansurum est, transferendo fecit ne omnino memoria veterum deleretur: quos sicut praesens sensus ostendit, non solum neglectui, verum etiam risui habere jam coepimus." Risit certe Horatius, L. 2, Sat. 5, V. 40:

---

[1]) Daniel Morhof (1639—1691), natus Lubecae, saepius patriam nostram visebat. Professor creatus Kieliae multos libros prelo mandavit, e quibus ille, cui titulus: *Polyhistor, sive de notitia auctorum et rerum commentarii*, 1688—1692, ad historiam litterariam eius temporis cognoscendam utilissimus est.

seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuit Alpes.

Nam eum versum ut A. Furii Antiatis credam, facit expositio Acronis: *Furius Bibaculus in Pragmatia belli: Jupiter hibernas*, etc. *Furius poëta immanis ventris, qui nivem spumam* (mallem ego *sputum*) *Jovis dixit. ideo hoc ejus personae dedit, tamquam ipse spuat.* τὸ *Bibaculus* aliunde istuc intrusum videri possit. Notum enim est quam nullam occasionem praetermiserit Horatius exagitandi veteres poëtas, Ennium, Lucilium, Plautum, alios. Accedit quod apud Gellium Caesellius Vindex dicat Furium veterem poëtam dedecorasse linguam Latinam audacibus hujusmodi vocum fictionibus, quae ibi leguntur: atqui non abhorret a talium vocum architecto (quas tamen ego damnare nolim) tam audax simul ac frigida translatio. Apud Commentatorem Cruquianum legitur: *Fusius Vivaculus in Pragmatia belli Gallici sic exorsus est, Jupiter hibernas*, etc. Si τὸ *Bibaculus* insititium fuerit, (ut quidem meus fert animus) eam Pragmatiam belli; adde, si lubet, *Gallici*; eandem videri cum Annalibus a Macrobio laudatis, nemo opinor negabit. Sed dices, Acronem nimis aperte contra me stare, et ferro me uti critico non satis oportune. Fatebor, si constiterit esse haec scholia genuina et vera scripta Acronis, grammatici multo doctissimi, nunc autem toties interpolata, toties recocta, quis mihi persuadebit hoc loco minus esse corrupta, quam sint aliis trecentis? Furii Bibaculi recentior erat memoria, quam Furii Antiatis: ideo factum puto, cum in Acrone legeretur, *Furius in Pragmatia belli*, ut scholasticus aliquis, qui inaudivisset plures hoc nomine poëtas fuisse, interque eos praecipuum Bibaculum, addiderit illud *Bibaculus*. Et ne me putes nebulas captare; id accidit

Dion. Lambino [1]). At cui viro! Nam in expositione loci Horatiani dicit Macrobium proferre aliquot versus *Furii Bibaculi*, quos Virgilius sit imitatus. Confer nunc Macrobium ipsum, et utriusque Furii, Antiatis ac Bibaculi, tempora. Gyraldi [2]) errorem non absimilem videre poteris apud Vossium [3]), L. 1, de Histor. Latin., c. 12. Reliqui versus, qui apud Vossium producuntur, sunt Furii Antiatis, citra omnem controversiam. Bibaculi exstant duo epigrammata apud Suetonium in Valerio Catone, sane bona et Musae vere Romanae: quae jure mireris fefellisse Vossium. Bene autem haec Furiorum fragmenta suo quaeque auctori dederunt Rob. et Henr. Stephani [4]). Neque aliter a Vossio factum oportuit: sed ei sua imposuit memoria. Vale Vir Clarissime, et me amare perge. Amstelod. 29 Junii 1692.

De Petronio memineris quaeso.

---

[1]) Dionysius Lambinus (1520—1572), Gallus, diu vixit in Italia, deinde profitebatur linguam Graecam Lutetiae. Vir eruditissimus edidit Horatium, Ciceronem, Lucretium, Plautum, Nepotem.

[2]) Lilio Gregorio Giraldi (1479—1552), natus Ferrarae, amicus fuit Sannazarii. Carminibus Latinis atque libris de archaeologia magnam sui famam reliquit.

[3]) Gerardus Joannis Vossius (1577—1649), natus Heidelbergae, litteris atque theologiae operam dedit Lugduni, fuit Rector Dordraci et praefuit Collegio Theologico Lugduni. In Academia Lugdunensi profitebatur linguam Graecam atque Latinam, deinde historias in Athenaeo Amstelaedamensi. Permultos scripsit libros. *De historicis Latinis libri* III prodierunt a. 1627, iterum a. 1651.

[4]) Robertus Stephanus (1503—1559), Gallus, typographus fuit Lutetiae, deinde Genevae. A. 1531 edidit librum: *Thesaurus linguae Latinae*. Lutetiae.

Henricus Stephanus (1528—1598), Roberti filius, ut pater fuit typographus. Multos recognovit auctores. A. 1572 in lucem emisit librum: *Thesaurus linguae Graecae*.

79 [1]).

Jano Broukhusio
Theod. Jansonius ab Almeloveen.

. . . . „Recta ad epistolam tuam transilio, in qua primum occurrit ferri Baelium esse autorem Dictionarii critici, quod sub fide silentii pro certo Tibi affirmare possum, si quidem ipse una cum adjunctis literis me exemplari, pro solita sua humanitate permagna, donavit, rogavitque, ut si quid in eo observarem animadversione dignum apertissime cum eo communicarem.". . . . Respondit ad Broukhusii epistolam locos afferens de Aristio Fusco. Pedonis Albinovani elegiae, ubi exstent, sibi indicari vult.

Goudae. a. d. III. Nonar. Julii MDCVIIIC.

LXXX.

Theodoro Jansonio ab Almeloveen
Janus Broukhusius.

Adeo me amanter ad hospitalia mensae tuae sacra invitas, mi Almeloveni, tam venustum lectissimorum virorum coetum commemoras, ut, ni continuo ad vos provolem, lapis sim, non homo. In primis me tenet desiderium videndi et salutandi Nobiliss. Wittii [2]), cui et ipsi hanc operam jam pridem debeo. Neque me libri tenent, neque valetudo intercedit quo minus veniam: sed molestior aliquis tribunus, officium videlicet et

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.
[2]) Videtur B. significare Joannem de Witt, filium Joannis, qui rem publicam nostram gessit atque administravit. De Witt (1662—1701), Jctus, multas visebat regiones, fuit urbis Dordrechtanae a secretis, et collegit permultas res pretiosas. Carmen funebre in illum composuit B. (*Poem.*, pag. 12).

munus quod urbi nostrae praestare teneor. Aliquot jam dies turbatum est hic ab ista pannificum turbulenta faece, quos *droogscheerders* appellant [1]). Neque res erat sine periculo, subversa paene domo ejus hominis in quem suae immodestiae caussas rejectas cupiebant. Habitat autem is in extremo urbis angulo, ubi vulgus infidum et perjura meretrix, ita ut armata manu cohibendus fuerit insanus ille bacchantium Thracum furor. Ut igitur et miles frequens sit ad signa, et sopiatur quam minimo periculo plebiculae petulantia, nemini praefectorum militarium abesse licet: nec licebit, ut video, intra aliquot dies, quamquam rebus jam sic satis compositis. Haec quoque caussa est cur nondum respondere potuerim ad superiores tuas super Horatii Aristio Fusco, et Arellio Senecae. Fiet id, mi Almeloveni, ubi primum redditus fuero mihi ac libellis: statui enim numquam ad te scribere sine aliqua literata fabula, quod ipsum et te facere gaudeo, et profuturum puto utriusque nostrum studiis. Vale Vir Clarissime, et coronam istam celeberrimorum hominum Broukhusii vestri nomine quam officiosissime saluta, quem invitum abesse a tam lepido grege facile credent qui norunt [2]).

Amstelodami. 15 Julii 1692.

---

[1]) De illo tumultu vide: Wagenaar, *Amsterdam*, VI, pag. 182. Broukhusio vulnus inflictum esse videtur; d. enim XXXI Aug. composuit carmen, cui titulus: *In tumultu quodam graviter vulneratus opem Chirurgi implorat* (*Poem.*, pag. 272).

[2]) B. scripsit d. II Sept. carmen: *Ad Theodorum Jansonium ab Almeloveen. Invitatus ab eo ad Convivium Eruditorum absentiam suam excusat* (*Poem.*, pag. 262).

81.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Visit eum N. Melchers [1], olim auditor Graevii. Ei spes affulget succedendi in provinciam rectoris scholae Alcmarianae, qui Groningam est evocatus. Rogat ut Graevius eum commendet.

Amstelodami. 9 Augusti 1692.

82 [2].

Jano Broukhusio
Jacobus Gallaeus [3].

A Munckero audivit Broukhusium in animo habere Propertium edere, qui petivit ut adiuvaret. Collationem igitur fecit MSS. in bibliothecis Regia atque Colbertina. MSS. non sunt admodum antiqui, neque satis correcti. Mittit specimen variarum lectionum in primo libro repertarum. „Reliqua, si haec placuisse ex Te intellexero, proxime habebis. Tibi, Vir Humanissime, pro dono elegantissimae et politissimae Elegiae, quod reponere possim, nisi gratum animum, non habeo. Maxima cum voluptate lecta fuit ab Excellentissimo Spanhemio [4]), qui plurimo amore me complectitur, et

---

[1]) Nomen non vidi in Albo studiosorum Traiectinorum.

[2]) In Bibliotheca Lugdunensi. De re ipsa vide *Epist.* 45.

[3]) E praefatione Tibulli Broukhusiani apparet Jacobum Gallaeum Campis in Transisalania ecclesiae ministrum fuisse.

[4]) Ezechiel Spanhemius (1629—1720), Genevensis, operam dedit litteris Lugduni, a. 1651 professor eloquentiae in urbe patria creatus postea Italiam visebat. Anno 1680 legatus fuit Electoris Brandeburgici Lutetiae, inde ab anno 1702 eodem munere fungebatur Londinii. Edidit Iulianum Apostatam atque Callimachum, scripsit *Dissertationes de usu et praestantia numismatum antiquorum*, et librum: *Orbis Romanus.*

cui illam legendam dedi. Incredibili quoque cum applausu, hic ab Huëtio [1]), Menagio [2]), Santolio [3]), Perenio [4]), et olim Petito, aliisque Phoebi alumnis, semper recepti fuerunt quos mihi versus a Te misit aliquando noster Munckerus." . . . .

Lut: Par: XIII Kal. Septemb. CIƆIƆCLXXXIIX [5]).

LXXXIII.

Joanni Georgio Graevio Janus Broukhusius.

Etsi nihil est magnopere quod ad te scribam, Vir Clarissime, pater jucundissime, nolui tamen hunc hominem meum ad vos dimittere sine aliquo meo epistolio, tum ut rediens me certiorem faciat de tua ac tuorum valetudine, tum ut ego fausta tibi omnia ac felicia comprecer novis ineuntis anni auspiciis. Faxit ille Deus ut inoffenso pede decurras quod restat vitae aequor, utque diu ac tranquille fruaris immortalium laborum tuorum gloria, quorum fructus ad nos omnes redit quotquot literas ac virtutem amamus. Petronium

---

1) Petrus Daniel Huetius (1630—1721), natus Cadomi, visebat Hollandiam atque Sueciam, curabat editiones ad usum Delphini, condidit Academiam in urbe patria, fuit abbas atque episcopus, et edidit permulta opera theologica, philosophica, philologica, poëtica.

2) Aegidius Menagius (1613—1692), Gallus, Lutetiae studebat scientiae legum et iuris peritissimus fuit. Edidit Diogenem Laertium et *Menagiana*.

3) Jean de Santeul, natus Lutetiae a. 1630, fuit celeberrimus poëta Latinus. Eius *Opera poëtica* prodierunt a. 1694. Obiit a. 1697.

4) Nescio quem significet.

5) Video me hanc epistolam hoc loco inserentem idem fere peccasse ac Broukhusium in *Epist.* 73, LXXIV. Gallaei enim epistola a. 1688 scripta est, itaque inserenda post *Epist.* LI.

Roterodamensem [1]) numquid vidisti? Sic puto. Nobis, id est Marsevenio, Francio, ac mihi, visus est longe alius prodiisse atque expectaveramus, et pagellae istae, quas tecum, Vir Clarissime, si meministi, cum risu pariter ac stomacho non injucunde percurrebamus, omnia alia promittebant. Ephemeridum scriptor Basnagius [2]) non dubitat fore, quibus suspectus sit hic novus foetus, et simul provocat ad fragmentum Tragurianum, sed et sic quoque bene cum literis actum pronuntiat, quod laciniae istae nullo hactenus ordine cohaerentes, jam commode, ac sine interruptione possint legi, et in unius corporis formam decentem redacta fuerint tam varia tamque multiplicia membra. Amabo, mi Graevi, fac examines paullisper hujus hominis sive judicium, sive relationem; qui cum multa dicere velle videatur, tandem addit, nolle se litem cum Nodoto [3]) suscipere, ideoque intacta relinquere plura de quibus possit disputari in utramque partem. Profecto si haec ratio tractandi scriptores antiquos ferri potest, aut debet, expecto ut mox Gallus aliquis ad eundem nobis modum consarcinet reliquias veterum Historicorum; quae res, praeter lectionem facilem ac non interruptam, multum conferet ad eruendas multarum gentium cum antiquitates, tum vero et origines, in quibus indagandis hactenus est frustra sudatum. Nec dubito quin brevi Lucilium, quem amo, integrum simus habituri, modo inveniatur aliquis qui se sapere credat ad Lucilii genium. *Dixerat o mores! o tempora! Tullius olim* [4]). Sed olim. Hodie aliis moribus vivitur. Et tamen (quod

---

1) Vide ad Epist. LXXXIV.
2) Vide ad Epist. LX.
3) Vide ad Epist. LXXXIV.
4) Mart., IX, 70, vs. 1.

inter nos pereat) pluris apud me sunt Caji Mattiaci [1]) Volusiana, quam istae novantiquae Gallorum epulae. Oro te, Vir magne, ut ne mihi semihorulam neges, judicium tuum efflagitanti. Lapidi dixeris, quidquid dixeris. Vidi his diebus Gronovii Ciceronem [2]), quin et legi totam praefationem. Videbar mihi audire senem illum Terentianum cum uxore expostulantem super filio [3]):

Quod est consimilis moribus,

Facile convinces ex te natum, nam tui similis est probe.

Nosti quae sequuntur. Sed tamen ista styli amarulentia nihil de ipsius bonitate demsisse credi debet, ut ut temperari non nihil potuerit. Expecto itaque responsum tuum etiam super hoc libro, ut sciam quid expetendum habeam, si legero; sed expecto ea conditione, quam modo dixi, ut totius rei praeter me particeps sit nemo. Valé Vir Eximie, et me, quod facis, amare perge.

Amstelodami. 6 Januar. 1693.

---

[1]) Oleum et operam perdidi investigando quem virem B. illo nomine ficto indicet. Mattiacum, poetastrum Traiectinum, B. saepius acriter perstrinxit (cf. *Poem.*, pag. 335, 339, 349). Alio loco de Mattiaco aliisque malis poëtis a Broukhusio derisis uberius agam.

[2]) Jacobus Gronovius (1645—1706), Joannis Frederici filius, visebat Angliam, Hispaniam, Italiam, profitebatur linguam Graecam Coloniae Juliae, a. 1679 professor creatus èst in Academia Lugdunensi. Edidit *Thesaurum antiquitatum Graecarum*, recognovit Herodotum, Arrianum, Polybium, Pomponium Melam, alios. A. 1692 in lucem emisit Ciceronis Opera, „*cum integris notis Jani Gruteri*", Lugduni.

[3]) Heautontim., V, 3, vs. 17.

84 [1]).

Jano Broukhusio
Joannes Georgius Graevius.

„Petronium Roterodamensem [2]) vidi sane. Sed in novis fragmentis, quae jactant, nullum Petronii vestigium reperi, sed fatuae imposturae ubique luculentissima argumenta. Quam benigne de se, de nostro vero seculo quam male sensit Nodotus, qui speravit se hoc fuco, quem qui vix aëre (?) lavantur, deprehendunt, os omnibus sublinere posse." Alia de illa editione. . . . . . „Epigramma, quod olim, cum primas pagellas legissemus, effundebas [3]), si publici juris feceris, et aliud addideris in tales censores, non male mereberis de re litteraria, sive sub tuo nomine illa volueris edi, sive aliud adoptaris." . . . . . „Quod si censuram volueris edere in haec fragmenta . . . . habebis a me, quae aut ipse observavi, aut observaturus sum."

Trajecti, a. d. IV KL. Januar. (st. v.) CIƆIƆCXCIII.

LXXXV.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Ita est, Vir Clarissime, nec volam nec vestigium an-

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Anno 1693 Charles Nodot, Gallus, qui rei frumentariae exercitibus curabat, edidit Lutetiae atque Roterodami fragmentum Petronii ignotum. Dicebatur illud repertum esse a. 1688 Tauvuni a tribuno Gallico, qui stipendia merebat in exercitu Imperatoris Austriae. Nodotus huic rei fidem habens fragmentum edidit atque a. 1694 Gallicam versionem prelo mandavit, sed omnibus fere philologis constitit fragmentum non esse Petronii.

[3]) Est carmen: *In Petronium larvatilem* (*Poem.*, pag. 167), scriptum d. XXVII Martii a. 1692.

tiquitatis reperire est in Roterodamensi Petronio. Omnia macra, misera, exsucca, exsanguia. Et *mirus ille styli candor*, quem tantopere venditat Nodotius in epistola, ubi est? Quid, quod plurimis in locis affectat nescio quem Tragurianismum? immemor istic induci homines libertinos ac sordide natos, suum vero Encolpion literas doctum, et ingenui sanguinis juvenem. Quae tumultuaria lectione observavi, in chartulas conjeci, et jam nunc Tibi mitto. Non sane, mi Graevi, quasi ego is sim, qui indagare quidquam valeam quod te fugiat, te inquam, optimum imo unicum literarum nostrarum arbitrum, sed ut dispicias an, quae displicent mihi, merito displiceant, tum ut constet apud te ratio diligentiae meae. Utinam tu velles personam detrahere histrioni tam inficeto, ac isto insigni beneficio demereri rem literariam! Certe interest studiosorum omnium, ne latius grassetur ista pestis, quae pro veris ac genuinis veterum scriptorum libris chartas suas concacatissimas obtrudit juventuti. Totum artificium suum hausit ex praeludiis Gonsalii Hispani[1]. Quem fuisse oportet hominem valde divinum; nam quaecumque apud eum lacunae vel sunt expletae, vel una alteraque voce inserta sic quasi commodius colligatae, eas hic suaviludius in suo illo praeclaro codice invenit tales, ne uno quidem apice immutato. Tum quae doctorum hominum εὐστοχία formavit in melius, ea quoque non raro corroboravit auctoritas libri pretiosissimi. Et tamen Criticos *superciliosam gentem* vocat, nimirum humani aliquid passus vir ab omni critica valde destitutus. Verbum non addam, mi Pater. Si quid in eum

---

[1]) A. 1629 Francofurti prodierunt supplementa ad Petronium e musaeo Josephi Antonii Gonsalii de Salas. Nomen viri illius, qui viros doctos fallere conatus est, legitur tantum in praefationibus ad Petronium.

strinxeris, de editione facile inter nos conveniet. Vale Vir praeclarissime, et me, quod te facere gaudeo, amare perge.

Amstelodami 26 Januar. 1693.

LXXXVI.

Joanni Georgio Graevio Janus Broukhusius.

Si, quantum tibi debeo, tantum quoque possem solvere, Praestantissime atque amantissime Graevi, sane in non minima parte ponerem felicitatis. Nunc vero cum pauperis horti sim cultor, facio quod possum, et in fructuum inopia flosculos tibi offero, sed neque sic, uti spero, ingratos futuros. Verti his diebus, in spem tuae gratiae, libellum istum Gallicum, de quo nobis sermo erat cum Tu nuper tua praesentia Francium ac me simul beares Leges, scio, non sine voluptate, quamquam interdum recedendum fuit longiuscule a puritate sermonis Romani, qua signantius redderem auctoris mentem. Eum ego libellum, mi Pater, tibi dono. Quod si typis exscribi volueris, erunt puto in urbe vestra qui non aegre horulam unam ejus lectione sibi perire patientur. Sin vero, tui erit arbitrii. Memineris modo, me nullum aliud habere exemplum, quocirca ignoscere te aequum est lituris ac calami erroribus. Vale Vir praestantissime, et Broukhusium tuum amare perge.

Amstelodami. 13 Aprilis 1693.

LXXXVII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Tibi non displicuisse meam versionem, optime Graevi, valde exhilarat animum meum, non sane quod tanti putem laborem paucarum horarum, sed quod plurimi apud me sit judicium tuum acre summi elegantiarum spectatoris, et amor erga me indulgentissimus. Egi cum Wolfgango sicuti jusseras; is rescripturum super singulis promisit, et remissurum una libellum Gallicum. Ego nuper Hagae, quod nollem, caussa cecidi, et vicit mea Dido [1]. Sed jam provocatum est ad Senatum supremum. Vbi Trajectum venero, deliberabimus amplius de remediis illi malo adhibendis [2]. Vbi venero, inquam: stat enim et Francio et mihi (fortasse etiam Marsevenio) brevi iter ad vos capessere. Interim te obsecro ut tecum dispicere velis, num quem istic amicum habeas, cui commendari possit caussae meae aequitas. Non est tamen cur nimium in ea re festinemus. Tu vale, mi Pater, et Broukhusium tuum amare perge, quod te facere unice gaudeo.

Amstelodami. 23 Aprilis. 1693.

[1]) D. XIII Martii 1693 curia Hollandiae iudicium fecit Broukhusio in pactione nuptiali manendum esse (vide: *De Nederlandsche Spectator*, 1881, pag. 403).

[2]) Res illa cum bona gratia composita esse videtur. Nam in libro manu scripto, qui continet iudicia senatus supremi, de actione, quam Susanna Broukhusio intulit, nihil repperit Vir Doct. J. Tileman, qui maxima humanitate desiderio meo satisfaciens de hac re in Archivo reipublicae nostrae inquisivit.

LXXXVIII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Habes tandem, Vir Clarissime, libellum Gallicum, quem opinor vester Halma tibi tradet. Quantum ex Wolfgango intelligo, is facile persuaderi poterit ut auctum et correctum imprimat. Id si vestri sit consilii, agam cum eo amplius, ubi hoc te velle significaveris. De Cicerone nihil hactenus quod respondeam habeo. Est omnino istud hominum genus de stirpe Cunctatoris Fabii. In versione libelli Gallici dicebas esse duos aut tres locos, de quibus mecum velles agere. Quod si tanti videtur, quaeso, in chartulam conjectos ut mittas mihi. Facile enim fieri potest, ut hic illic sim lapsus, praesertim cum per lusum hanc operam sumserim. Et nosti curam meam incuriosam. Si quid sit praeterea in quo tibi usui esse possit mea sedulitas, noli amabo parcere operae meae. Vale mi Pater, et me, quod facis, amare perge.

Amstelodami. 24 Aprilis. 1693.

89 [1]).

Jano Broukhusio
Johannes Mensinga.

Litteras Broukhusii accepit. Gaudet eum elegiae in memoriam Rodolphi Agricolae [2]) laudem tribuisse. —

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Rodolphus Agricola (1443 – 1485), discipulus Thomae à Kempis, natus in pago Baflo, vivebat Lovanii, Lutetiae, atque in Italia. Fuit syndicus urbis Groningae, legatus apud Imperatorem Maximilianum, professor linguae Graecae et Latinae in Academia Heidelbergensi. Fuit vir huius temporis inprimis doctissimus.

„Elegantes ingenij tui foetus quos mihi misisti legi magna cum voluptate, teque rogo ut his tuis delicijs semper me digneris excitare ac reficere". — Num Propertius brevi visurus est lucem?

Gron: in Frisijs. XI. Maij CIↃIↃCXCIII.

90 [1]).

Jano Broukhusio
Joannes Georgius Graevius.

„Tam laute et suaviter nos excepisti [2]), ut etiam nunc illius jucunditatis memoria me oblectem." .... „Ab Illustri Huetio litteras habui. Is de Latina versione illius opusculi haec ad me: Quod ad Latinam interpretationem attinet, cujus specimen ad me misisti, etsi aegre ferre non possim ea publicari, quae hominum indoctae huius, insolentis et insulsae factionis urant oculos, et contumaciam contundant, vereor tamen ut extranea lingua vernaculum saporem et festivitatem retineat." ..... Huetius scripsit bibliothecam suam incendio esse deletam .... „Brevi dabo aliquot horas subsicivas tuo Propertio."

Trajecti. Idibus Sextilis Dionysiacis CIↃIↃCXCIII.

XCI.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Omnibus laetitiis incedo, mi Pater, postquam vidi te velle in partem juvare operam illam quam in Propertium insumo. Vrge quaeso praepositum, et tanto

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.
[2]) Graevius excurrit Amstelaedamum ut ageret de editione Ciceronis (cf. *Francii Posthuma*, pag. 406.)

beneficio optimum poëtam obstringe. Numquam ego committam, ut id factum fuerit sine grata commemoratione clarissimi nominis tui [1]). Et profecto tu es unus ille atque unicus, ad cujus examen probari velim meas lucubratiunculas. De dammo quod illustris Huetius fecit, invitissimus audio, nec tantum bibliothecam periisse, verum et simul tot res sapienter ab eo cogitatas, quarum jactura reparari non potest. Utinam periissent prius centena aliquot millia malorum scriptorum, cum tota adeo sapientia hodierna. Illud tamen Viro summo restare debet, qui est summus studiorum fructus, ut possit suis se involvere virtutibus, et eorum usum resignare, quae reposcit supremus rerum arbiter. In versione libelli Gallici me non latebat, *la Michaudiere* dictum esse ridiculi gratia, verum ne nunc quidem scio, qua ratione articuli istius vim, in isto idiomate peculiarem, Latine exprimere debeam. In caeteris errare potui, et sane cnm mitterem tibi archetypon, nondum omnia relegeram. Quam tamen excusationem ne ego quidem ipse admitterem. Quod si libellus iste debeat in lucem hominum exire, (et sunt rationes quae id suadeant) mallem ut Gallus aliquis Latine peritus retexerit totum quantus est, quam ut tempus tereret corrigendis meis chartulis. Sin et id fieri nequit, neque remittantur folia pridem transmissa; stabo tuo arbitrio, et faciam quod jusseris [2]). Vale Vir Magne, et me tuum amare perge.

Amstelodami. 31 Augusti. 1693.

---

[1]) Et in Praefatione ad Propertium et saepius in notis Graevii mentio facta est.

[2]) Nescio an B. versionem illam Latinam ediderit; nullo enim alio loco quam in his epistolis illius libelli mentio incidit.

XCII [1]).

Poetae Elegantissimo
Centurioni Fortissimo
Jano Broukhusio
Jac. Perizonius.

Dum ex morbo seu febri, quae me exercitum habuit diutissime, sensim convalesco, et interim totos dies domi desidere cogor, tanquam claudus sutor, ut ille ait, legi Perralti [2]) Parallela Antiquorum Hodiernorumque ingeniorum, in quibus hodiernos scriptores, modo sint Galli, longe praefert veteribus. Vidi etiam Epistolam, qua Francio respondet [3]). Cui an nihil prorsus reponet Francius? Erat profecto argumentum, dignum eo, qui ex veterum sapientia et varia eruditione potissimum eloquentiam illorum sive prosa sive metro admiratur imitaturque. Quid Tu, Vir Doctissime, qui unus omnium maxime perlustrasti Gallorum hodierna scripta, et scitissime comparationem instituere posses inter eorum bene vel secus dicta et veterum, sicuti Perraltus facit, an impetrari a Te potest ut ferociam hominis retundas, ac veterum gloriam ab opprobriis vindices. Nam de Francio, ut vere dicam, nihil ejusmodi exspecto, a

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Charles Perrault, natus a. 1628 Lutetiae, poëmata Gallico sermone scripta edidit. Eius liber *Parallèle des anciens et des modernes*, (Lutetiae, 1688—1698, 4 vol.), exordium fuit longae atque acerbae controversiae litterariae. Hodie Perraltus fabulis suis nondum oblivione est obrutus. Obiit a. 1703.

[3]) Francius in oratione sua *de Perfecto et consummato Oratore* studiosos monuit ut a libris sibi caverent Gallorum, qui „Parisiensis Curiae Advocatos" disertiores esse Cicerone affirmarent. Perraltus in dialogis suis hanc ob rem vehementer in Francium invectus est. Eam epistolam Perralti Basnagius Francio probante in Ephemeridas suas retulit.

quo ne quidem epistola impetrari potest. Questus est mihi novissime Jensius [1]), sibi scriptum fuisse Amstelodamo, Francium jactare passim errores a se in carmine Graeco commissos, ostendisse eos etiam sine ulla circuitione Gronovio, se ergo misisse literas humanissime scriptas ad Francium [2]), et rogitavisse, ut secum quoque, ad quem ubique haec res pertineret, eos vellet communicare, ut ita sibi in posterum ab iis posset cavere, et per literas ex Francio in re poetica proficere [3]). At nihil literarum se a Francio obtinuisse. Quod si ille per Jensii latus me petat, (nam et hoc audio, jecisse illum, mirari se, errores istos non fuisse a me animadversos) sciat, carmen datum fuisse a Jensio examinandum Cl. Gronovio, qui et cum isthoc carmine ad me adiit, idque praelegit, ut ad ejus argumentum attenderem, et an vellem ita edi, quod de me compositum erat. Post illa mihi datum est a Jensio, ut subjiceretur Orationi meae [4]), nec ego tunc repetii ejus lectionem, aliis quippe sic satis occupatus, quia sententiam carminis jam antea audiveram et intellexeram; in officinam vero cum daretur, correctum est ab ipso Jensio.

---

[1]) Joannes Jensius, natus Hagae Comitum, operam dedit litteris Lugduni, ab anno 1694 ad 1697 conrector fuit Gymnasii Dordrechtani, a. 1697 Hagae Comitum, a. 1700 Rector Dordraci, post Roterodami. Multa opera atque carmina Latina edidit. Obiit a. 1753.

[2]) Jensius epistolam, quam dedit Francio d. VIII. Kalend. Octobr. MDCXCIII, prelo mandavit in libello, cui titulus: *Joannis Jensii Justissima Querela . . . . . . Dordrechti* . . . . 1696, pag. 10.

[3]) Hanc ob rem acerrima rixa Perizonii atque Jensii cum Francio fuit. A. 1696 illi viri docti decem fere libellos in lucem emiserunt, in quibus se invicem conviciis consectati sunt.

[4]) Est oratio a Perizonio habita a. 1693, cum professionem Historiarum, Linguae Graecae et Eloquentiae in Academia Lugdunensi susciperet.

Praeterea fatear lubens, me, qui nunquam Graecis carminibus pangendis me dedi, non adeo in promptu habere prosodiam Graecorum in tanta eorum licentia et ambiguitate. Notum est illud Martialis, ubi queritur Romanis non licere esse tam beatis, ut illi sint, quibus liceat in eodem carmine Ἄρες Ἄρες sonare [1]). Caeterum, ut ad rem redeam, de qua ab initio egi, audivi quondam ex Te, Bouhourium [2]), ni fallor, edidisse dissertationem hujus vel similis argumenti ac tituli, *S'il est possible, qu'un Allemaud aije d'esprit.* Quaeso te, ut significes primum, quo in libro ejus illud occurrat. Tum an habeas, vel noveris librum Charpenterii [3]), scriptum, ni fallor, per occasionem statuae regiae, quo ille linguam Francicam quasi jam communem omnium gentium, et secula laturam, Latinae p aeferendam contendit. Cupio scire quis titulus sit libri, et an haberi hic possit. Speraveram me talia inventurum in Catalogo Ablancourtii [4]). Sed nihil ejus invenio. Si quae habes similia arrogantiae istorum cum contemptu aliarum gentium veterum recentiorumque conjunctae exempla, ea ut mecum communices, etiam atque etiam rogo. Nam si nihil vos praestabitis, nescio an ipse brevem dissertationem homini sim repositurus. Nec enim animus est per omnia Homeri et Platonis, in quos maxime invehitur, stijli et inventionis vitia, quae ille undique corrasit, me effundere. An habes vel an haberi potest *Discours sur les Anciens* [5]), quod ni fal-

---

[1]) IX, 11, vs. 15.

[2]) Dominique Bouhours (1628—1702), e societate Jesu, multa scripsit opera Gallico sermone.

[3]) François Charpentier (1620—1702) libros Gallicos scripsit.

[4]) Nicolas Perrot d'Ablancourt (1606—1664) multos auctores Graecos atque Latinos vertit Gallice.

[5]) Liber iste, qui lucem vidit a. 1687, scriptus est a poëta Longepierre (vide ad Epist. sequentem).

lor, scriptum est contra Perraltum? Vale Vir elegantissime, et me amare persevera, teque a me vere amari, tibi persuade.

Lugduni in Batavis, pridie Idus Decemb. CIƆIƆCXCIII.

XCIII [1]).

Jacobo Perizonio
Janus Broukhusius.

Quod tam diu ad amicissimas literas tuas responsum distulerim, Vir Clarissime, noli in seciorem partem interpretari: factum enim id est justis de caussis. Nempe exauctorandi fuerunt quotquot e militibus nostris veteranis operam classiariam detrectabant, (detrectavit autem pars multo major) et conscribendi novorum numeri copiosiores. Id negotium quam parum cum Musis conveniat, nec tu, nec quisquam doctus ignorare potest. Nunc respiro nonnihil. Primum ergo gratulor tibi, quod liberatus sis a febri, hoste illa molestissima corporis simul atque animi. Conservet tibi prosperam salutem, atque augeat, Deus inmortalis! Tum vero, o noster, laudo quod in animum induxeris retundere stolidam Perralti ferociam, cujus ego impium librum evolvi, qua parte agitur de poëtis. Praecipuus ei scopus videtur, ut excutiantur de manibus hominum omnes libri antiquorum, retentis solis hodiernis, et iis quidem non nisi Gallis. Nam si titulo suo voluisset satisfacere, debuisset e singulis Europae nationibus, quae quidem hodie habentur cultiores, exempla petere quae opponeret antiquitati. Vides hic pellucentem superbiam vanissimae gentis, quae tyrannidem affectat etiam in ipsa ingenia. Ceterum argumentis utitur saepe imbecillis, saepius malig-

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

nis, et aliorsum detortis quam quo ire debebant. Neque raro aliena aravit vitula. Quam ego rem praesentibus exemplis possem firmare, si conferre singula liceret per otium paullo benignius. Prodiit jam pridem libellus elegans et festivus, hoc titulo, *la Guerre des autheurs anciens et modernes*, à la Haye, 1671,12°. Auctor creditur M. Gueret [1]). Eum totum evolvere debes, (non est ita magnus) videbis me non mentiri. Junge illi alterum, ejusdem commatis, scriptoris incerti, *le Parnasse reformé*, à Amsterdam, 1671,12°. Fureterii [2]) *Nouvelle allegorique* huc non pertinet. Pertinet autem vel maxime *l' Histoire poëtique de la guerre nouvellement declarée entre les anciens et les modernes*, à Amsterdam, chez Pierre Savouret, 1688,12°, libellus plurimi salis, et eruditionis jucundissimae. Auctor est D. de Longepierre [3]), is ipse cujus habemus versiones Gallicas multo elegantissimas Sapphus, Anacreontis, Bionis et Moschi. De Perralti epistola contra Francium quid dicam? Observandus tamen erit hic locus, p. 217, 218: *pourveu qu'il fasse reflexion .... puisque pour les mêmes choses ou l'on ne daigne pas faire attention quand elles sont dites en Latin, on se couperoit la gorge si elles etoient dites en Francois.*

---

[1]) Gabriel Guéret (1641—1688), Ictus, vivebat Lutetiae.

[2]) Antoine Furetière, natus a. 1620 Lutetiae, Ictus, edidit Dictionarium Gallicum, carmina et alia opera. Obiit a. 1688. Eius liber: *Nouvelle allégorique, ou Histoire des derniers troubles arrivés au royaume d' éloquence* prodiit a. 1658.

[3]) Hilaire-Bernard de Requeleyne, baron de Longepierre (1659—1721) tragoedias scripsit. Eius versiones Gallicae Anacreontis et Sapphus a. 1684, Bionis et Moschi a. 1686, Theocriti a. 1688 lucem viderunt.

Habent haec verba aliquid Pyrgopolinicitatis. Itaque cum eo homine non erit agendum nisi Latine. Id vero quod sequitur, p. 222, bellissimum istud dicterium in eos, qui, cum Latine scribant, nomina sua inflectunt ad rationem linguae Latinae, non sine grandi piaculo apud aures Gallicas, *je m'estonne que des Sçavans, et même des Sçavans en IUS*, id inquam tam feliciter natum scomma, quis credat ridiculo poëtae Scarroni [1]) deberi? Et tamen debetur. Ita ille, in oda ad Celsissimum Principem Auriacum scripta, ante hos quadraginta sex annos:

„*Heinsius*, et *Salmasius*,
Qu' en Francois nous disons *Saumaize*,
Et *Menage* (car n'en deplaise
Aux noms terminez en IUS,
Sans l'appeller MENAGIUS)
Il ne faut pas que je le taise", etc.

Sed fortasse hoc dedit honori Maintenoniae, quae est vidua Scarronis. Quae in fine habet Perraltus pro dictione ludicra, *(la poësie burlesque)* quasi haec sit pars poësios noviter inventa, et quam quia antiqui ignoraverunt, tantum non triumphat, videat ipse an possit defendere, si rite oppugnentur. Interim non te latet liber eruditissimus Franc. Vavassoris *de Ludicra Dictione* [2]). Bona quoque sunt, quae super eadem pronuntiavit materia Balzac, Entretien XXXVIII [3]),

---

[1]) Paul Scarron (1610—1660), versuum ludicrorum auctor, satis est notus.

[2]) François Vavasseur (1605—1681), e societate Iesu, multa edidit opera Latina; eius liber: *De Ludicra dictione* prodiit a. 1658.

[3]) Jean Louis Guez de Balzac (1594—1654) celeberrimus est auctor Gallicus. Eius liber *les Entretiens* prodiit a. 1658 Lugduni.

et videre debes. Bouhoursii contumeliosa quaestio, *Si un Allemand peut être bel esprit*, exstat in Dialogo 4, p. 242, libri cui titulus *Les Entretiens d'Ariste et d'Eugene*, à Amsterdam, 1671,12°. Memento tamen, eâdem te opera inspicere debere quae congessit ineptissimus Bailletus [1]) *dans les Jugemens des Sçavans*, tome 1, a p. 272 usque 283, ubi de Germanorum ingeniis agit ac Belgarum. Charpenterii librum recensuit, ni fallor, Bayle dans *les Nouvelles de la republique des lettres* [2]), Longapetraei (is enim est auctor) *Discours sur les anciens* Basnagius, non sine maligno morsu [3]). Locos ipsos, ubi recensum ipsum reperire possis, non queo nunc quidem indicare. Tu nisi per te aut per alium repereris, dabitur alias opera. Si quid praeterea est, in quo tibi usui esse possit mediocris mea industria, tuus erit labor explorare quid optes. De Jensii carmine vix habeo quod respondeam [4]). Egit is ipse coram cum Francio, quod videtur te celavisse. Ceterum quod ad Francium attinet, obsecra te, mi Perizoni, cave tibi sollicite a maligno susurronum genere. Numquam deerunt, quibus melli est viros paeclaros inter se committere. At quanto cum dedecore bonarum literarum! Jensius utrum bonos versus scribat, an malos, quid ad te? quid ad Francium? Vestrum neuter

[1]) Adrien Baillet (1649—1706), vir eruditus et laboriosus, opera historica edidit. Eius liber: *Jugements des savants sur les principaux ouvrages des auteurs* prodiit a. 1658, iterum a. 1722.

[2]) Pierre Bayle edidit Amstelaedami *Nouvelles de la république des Lettres* (1684—1687).

[3]) De Basnagio vide ad Epist. LX.

[4]) Verba quae sequuntur Perizonius laudavit in libello suo, cui titulus: *C. Valerii Accincti ad P. Francii epistolam tertiam responsio. Lugduni in Batavis*, ... 1696, pag. 20.

Jensii doctor fuit. Nolite vos, amabo, egregia saeculi decora, fovere semina discordiae, quae erumpant brevi in apertum contemtum rectorum studiorum. Barbariem si oppugnare aggredimur, etiam vel sic satis erit negotii in otio literato. Charpenterii et Longapetraei libros (vide quo me abripuerit amor utriusque vestrum) non puto hic locorum haberi posse. Ego certe multum ac diu quaesitos numquam potui reperire vel precario legendos. Vale Vir Clarissime, et Broukhusium tuum (est enim totus tuus) amare perge. Amstelodami, ipsis Cal. Jan. 1694, quem tibi annum felicem ac fortunatum faciat Deus immortalis.

94. [1]).

Jano Broukhusio
S. Munckerus.

Mittit carmen funebre in matronam C. ab Haarsma et rogat Broukhusii iudicium. — „Nuper coram voluisti ut commercium nostrum litterarium instauraremus."

Leovardiae, prid. Kal. Mart: CIƆIƆVIC.

95 [2]).

Jano Broukhusio
Joh. Mensinga.

Epistolam Broukhusii accepit. „Consilium tuum de cogendis copijs meis forsan amplecterer, si daretur copia hos foetus rudes exactiori limae committere; hoc cum a nemine petere ausim, et hic habeam neminem, a quo hoc desiderare possim, et valetudo moram longiorem vix permittat, non est, quod de his curis meis,

---

1) In Bibliotheca Lugdunensi.
2) Ibidem.

quae nondum acceperunt ultimam manum, multum polliceri mihi possim" [1]. . . . . „Elegiam meam non displicuisse tibi laetor: in ea si quid desideretur, suppleat studium ac amor in te meus." — Brevi mittet elegiam suam in vastationem Palatinatus [2]. Duas odas conscripsit in commentarium Junii de Picturis veterum, „quas ad Cl. Graevium proximo tabellario sum missurus, ut doctissimo operi ipsius cura adjiciantur [3]. Feci hoc satisfacturus desiderio amici Dionysij Junij [4], qui hoc opus propatrui sui custodiendum habuit, et a quo ante annos aliquot me commendante transmissum est ad Cl. Graevium." . . . . „Fama est meditari te novam ac auctiorem Poematum tuorum editionem, quam non vanam fore, spem mihi facit multa copia, quae subinde accessit." — Hanc epistolam tradet viro doct. Mensoni Alting [5]; ille paratum habet commentarium geographicum de Belgio veteri; Broukhusium ut carmen elaboret in eum librum rogat. Commentarius chronologicus Altingii etiam absolutus est.

Gron: in Fris: VIII. Marty CIↃ.IↃ.CXCIV.

---

[1] Mensingae carmina non sunt collecta.

[2] Est carmen: *Elegia de Heidelberga deleta et vastata Palatinatu.*

[3] Anno 1694 Graevius edidit: *Francisci Junii, F. F., de Pictura Veterum libri tres, tot in locis emendati et tam multis accessionibus aucti, ut plane novi possint videri . . . . Hagae Comitum.*

[4] Dionysius Junius erat filius Francisci Junii, qui in Academia Groningana ab anno 1651 ad 1666 scientiam iuris profitebatur.

[5] Menso Alting (1637—1713) a. 1678 senator, a. 1686 consul fuit urbis Groningae. Auctor est librorum: *Descriptio secundum antiquos agri Batavi et Frisii, sive Notitia Germaniae Inferioris* (1697), et *Descriptio Frisiae inter Scaldis portum veterem et Amisiam* (1701).

XCVI.

Theodoro Jansonio ab Almeloveen
Janus Broukhusius.

Ignosce, Vir amicissime, quod responsum ad literas tuas suavissimas tam diu distulerim: mille negotiis distineor, et tantum non dilaceror, quae vix mihi permittunt ut noctu somnum capiam. Pro tuis Opusculis [1]) gratias ago debitas: Celsum [2]) tamen expecto, cujus me dictio mirifice capit. De Servio ita habeto: quae mea sunt, quaeque Francii, usurpabis quando et quam diu voles: non tamen id tibi tanti esse debet, ut propterea remittas operam quam ponis in Vita Casauboniana [3]). Sunt alia, de quibus te monere debeo. Ryckius [4]), quem novisti haud ita pridem Professorem Leidensem, a multo jam tempore secum moliebatur novam Servii editionem. Ei rei non parvam supellectilem paraverat in schedis: habebat autem inter alia tres codices Servii impressos, supplementis, emendationibus, notis, etc. egregie refertos. Ii codices dicuntur transiisse ad Tob. Mylium [5]), Conrectorem (ut vocant) Leidensem, pretio an dono ego non habeo dicere. Nunc vero, postquam is Mylius diem suum clausit, nusquam in ejus catalogo

---

[1]) A. 1686 Almelovenius edidit Amstelaedami *Opuscula*.

[2]) Celsum Almelovenius in lucem emisit a. 1687.

[3]) Curavit A. editionem Epistolarum Casauboni, quae a. 1709 Roterodami prodiit.

[4]) Theodorus Ryckius (1640—1690) rector fuit Gymnasii Campensis, ab anno 1672 professor historiarum atque eloquentiae in Academia Lugdunensi. A. 1686 edidit *Animadversiones ad Tacitum*, quem in librum B carmen composuit (*Poem.*, pag. 309) non absolutum; in codice manu scripto ascripta sunt verba: „hactenus tum temporis. Nunc mortuo Ryckio non libet perficere."

[5]) Ignoro hominem.

comparent, subducti fortasse auctioni publicae ab haerede elegantiarum Musicarum studioso. Igitur, antequam aliquid statuatur de editione, inquirendum censeo, vel apud Ryckii viduam, vel apud haeredes Mylii, quid factum sit istis libris, et num qua spes supersit recuperandi thesaurum tam pretiosum. Ea si decollaverit (ita mihi animus praesagit) nostro nobis succo vivendum erit. Formam editionis, qualem ego mihi finxeram, indicabo tibi. Virgilii ipsius, cum adjunctis per tmemata Servii Commentariis, textum, (ut loquuntur) dare debebis, ita uti jam pridem dedit Petrus Daniel [1]): sequentur Auctaria, notato per characteres singulo quoque libro unde fuerint depromta, simplicia prorsus ac nuda, sine ullo fuco critico: tum deinceps Notae ad Servium, quotquot undequaque poterunt corradi. Agmen claudent Philippi Beroaldi [2]) Annotationes in Servium, opus hactenus non suo pretio habitum. Hac ratione, opinor, habebimus opus luculentum, et quod nomen tuum cum summa laude diffundat in omnem posteritatem. Leersius [3]) vester (quod sine contumelia dictum volo) quam sit idoneus arbiter literarum nostrarum ego quidem ignoro: verum hoc mihi velim credas, numquam nos deficiet typographi alicujus seduli et ad rem attenti industria. Conatum tuum in Propertio emaculando laudo, nec tamen sequor. Istud *gummis*

---

[1]) Petrus Daniel (1530—1603), natus Aureliae, Ictus, invenit Plauti comoediae: *Aulularia*, illo tempore ignotae codicem manu scriptum. A. 1600 edidit: *Commentaires de Servius sur Virgile.*

[2]) Filippo Beroaldo (1453—1505), Italus, commentarios scripsit in Plinium, Propertium, Catullum, Apuleium, Suetonium, alios. Eius *Annotationes in commentarios Servii Virgilianos* prodierunt a. 1482 Bononiae.

[3]) Ni fallor, Leersius ille erat bibliopola Roterodamensis.

vox est plane insolens apud poëtas nostros: et Propertii mens est, antiquas istas puellas, pro aevi sui simplicitate, nullam commendationem quaesivisse faciei suae a splendore gemmarum [1]. Quod quam sit verum, optime decidere possunt quae hodie vivunt puellae. Ecce elegantem formarum spectatorem Horatium [2]:

Nec Coae referunt jam tibi purpurae,
Nec *clari lapides* tempora, quae semel
Notis condita Fastis
Inclusit volucris dies.

Paria sunt in Claudiano, quae nunc adscribere non vacat prae festinatione. De Critico Dictionario Baelii scire desidero quid sperare debeamus. Multum tibi, amice, tuisque Amoenitatibus [3] debet civitas Goudana, vellem et adgnosceret. Vale, Vir Clarissime, et me amare perge.

Amstelodami. 21 Martii. 1694.

97.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Cum Bomio [4] egit de Julio Celso; ille mittet quidquid scriptorum Vossii prodibit et tria Celsi exemplaria [5].

---

[1]. Videtur Almelovenius legi voluisse *gummis* pro *gemmis* in Propertii, I, 2, vs. 21:
„Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis."

[2] Carm. IV, 13, vs. 13.

[3] A. 1694 Almelovenius edidit Amstelaedami: *Amoenitates Theologico-Philologicae.* Illi libro subiecta sunt *Epigrammata et Poëmata veterum* (cf. *Epist.* LXVIII, LXXVII, LXXVIII).

[4] Bomius erat bibliopola Amstelaedamensis.

[5] Sermo esse videtur de commentario Dionysii Vossii in Caesarem. Anno 1697 prodiit cura Graevii: *Caius Iulius Caesar, cum commentariis Dionysii Vossii, G. I.*

Bomius petit praefationen a Graevio. Putat ille melius esse, si Celsus uno eodemque volumine excudatur quo Caesar. Rector Amstelaedamensis Gorisius [1]) dixit apud Wittium Dordracenum aliud exemplar Celsi exstare.

Amstelodami. 5 Maji 1694.

98.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Libros, quos Graevius sibi commodari voluit, non emit. Notae in illis nullius sunt pretii. — „De meo ad vos excursu ego quidem nihil polliceri possum; adeo lente(?) nos habent rei maritimae Curatores. Interim nobilissimo Heemstedio [2]) velim meis verbis gratas gratias agas pro humanitate tam prolixa. Utinam in istis Tempe liceat aliquando in tuo complexu respirare a negotiis ab hoc animo nimis quam alienis! Et tamen licebit aliquando."

Amstelodami. 14 Maji. 1694.

99 [3]).

Jano Broukhusio
J. F. Cramerus.

Danckelmannus Broukhusii et Francii accepit car-

---

filii . . . . Amstel. Huic editioni subiuncti sunt *de vita Caesaris commentarii* Iulio Celso tributi.

Dionysius Vossius (1602—1633), Gerardi filius, in animo habuit Caesarem notis illustratum edere, cum mors praematura eum raperet.

1) Joannes Goris fuit a. 1669 praeceptor Gymnasii Dordraceni, a. 1681 Gymnasii Traiectini, postea rector Amstelaedami. Librum historicum edidit.

2) Theodorus a Velthuysen, Heemstedii toparcha, natus a. 1651, amicus fuit Graevii et Burmanni, qui illi libros dedicaverunt.

3) In Bibliotheca Lugdunensi.

mina [1]), quae mirifice Principi placuerunt. — „Bessero [2]), magistro, uti vocant, caerimoniarum aulicarum, negotium est datum, ut nulla interposita mora utrumque poëma typis describendum curaret." . . . . . „Statuarum, quae in recenti ponte collocabuntur, nomina brevi ad me perscribet Vir Illustrissimus. Ea statim Tibi, Vir Nobilissime, et Francio nostro edam, simulac de iis certior factus fuero ab Illustrissimo Danckelmanno. Interea avide exspecto utriusque vestrum epistolas ad Augustum Principem, quarum mihi spem coram feceratis, una cum epigrammate, quo celebraturos vos esse incredibile Danckelmanni, viri summi, studium in afflatos divino spiritu vates et omnis politioris elegantiae cultores mihi recepistis [3])." . . . „Facit incredibilis Tua humanitas, Vir Nobilissime, ut aurem Tibi vellicem de epigrammate aut quovis carmine contra Bohurium Germanici et Belgici nominis obtrectatorem scribendo [4]), et meae qualicunque Epistolae [5]) annectando non dubitem. Nam quum vestra quoque res agatur, caussam communem mecum facere, uti confido, non recusabis. Ita junctis viribus hominum insolentissimorum injuriam

---

[1]) Broukhusius d. XXI Junii composuit carmen: *In auspicia Academiae Hallensis* (*Poem.*, pag. 369), d. XXVI Junii: *In natalem serenissimi ac potentissimi Principis Frederici III. Sacri Romani Imperii Octoviri* (*Poem.*, pag. 372).

[2]) Joannes Besser (1654—1729), Germanus, Ictus, a. 1684 fuit legatus Electoris Brandeburgici Londinii, postea magister caerimoniarum. Carmina vernacula composuit.

[3]) D. VI Aug. B. composuit carmen: *Ad Everardum Dankelmannum* . . . . (*Poem.*, p. 374).

[4]) B. voluntati Crameri satisfecit et scripsit: *In calumniatorem Gallum* (*Poem.*, pag. 168).

[5]) Cramerus edidit a. 1694 Berolini librum, cui titulus: *Vindiciae nominis Germanici contra quosdam obtrectatores Gallos.*

et obtrectandi libidinem reprimemus. Mihi equidem defensoribus ejusmodi et sociis contra communem adversarium inprimis est opus. Quod si obiter per eam occasionem facere mentionem honorificam et Herois Danckelmanni, cui hoc omne militatur bellum, in ipsius gratiam (?), et Poetae Besseri, qui ejus imaginem expressit, in animum induxeris, pergratum mihi feceris, simulque de utroque illorum bene merebere."

Trajecti Batavorum. a. d. XIII Julii CIƆIƆCXCIV.

100 [1]).

Jano Broukhusio

I. F. Cramerus.

Broukhusius non respondit; suspicatur igitur Cramerus litteras superiores non ad eum perlatas esse. Alia de eadem re. „Nec dubito, quin Vir Illustrissimus Danckelmannus ipse sit Vos ea de re certiores facturus, cum summa sui erga Vos studii significatione, simulac vestris provocatus litteris intellexerit, a me in tradendo vobis munusculo Principis non negligenter administratum officium esse." . . . . . . „Oden Commirii [2]), quam ad Francium misi, vidisse Te puto. Elegans est et gravis, nisi quod Poetam et Gallum et Jesuitam esse vel ipsum argumentum et totius instituti ratio declarat. Digna vero vestro ingenio palaestria foret, si hominem insolentissimum et in Anglos foederatos inepte debacchantem vestris carminibus reprimeretis." . . . . „Significavit mihi Wetstenius noster, intellexisse sese a Francio, Te mihi misisse poema, quod contra Bouhurium, impudentissimum communis nominis obtrecta-

1) In Bibliotheca Lugdunensi.

2) Jean Commire (1625—1702), e societate Jesu, vivebat Lutetiae. Celeberrimus fuit poëta Latinus.

torem, scripturum Te esse, et hunc gravissimi ponderis cumulum meae Defensioni nominis Germanici adjecturum dudum mihi promiseras. Ego nihil tale accepi." Mitte igitur carmen, nam oratio iam prelo est subiecta.

Trajecti Batav. a. d. V Augusti CIϽIϽCXCIV.

CI.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Misi, Vir Clarissime, a. d. 15 hujus mensis Trajectum, ut Cramero nostro redderetur, chartarum fasciculum, in quo erant duae epistolae ad Serenissimum Electorem, duo carmina ad Illustrissimum Dankelmannum, duo item lusus adversus Jesuitam Buhursium pro Vindiciis Crameri etc [1]). Biduo post redditur mihi a Cramero epistola, qua significat nihil se eorum accepisse, quorum ego et Francius noster spem feceramus: (puta haec ipsa, quae modo commemoravi) erat autem scripta eodum quo mea die, ita ut tum quidem non valde laboraveram. Tamen ut forem certus, quae fortuna excepisset fasciculum istum meum, respondi Cramero, et diligenter notavi singula quae ad ipsum miseram, cum amicis precibus ut utrumque nostrûm liberaret metu non mediocri, quem conceperamus, ne chartae istae periissent. Ad eas literas hactenus nihil rescripsit Cramerus, praeter suum morem, et officiosissimam semper in nos humanitatem. Id quo modo interpretari debeam, ignoro. Vereor autem anxie (id quod Deus avertat) ne quid secius acciderit amico suavissimo, quum recogito quam non sit sine periculo ista oculi alterius caligo. Tu mi Pater, si me amas, amas autem plurimum,

[1]) De illis carminibus vide ad Epist. 99.

expedi aestum meum, et cura ut quam primum sciam quid sit illud quod moram fecerit nostro Cramero in mutuo literarum officio. Priores istae chartae si perierunt, dabitur opera ut jactura ea resarciatur. Quamquam interea simul periit bonum temporis spatium. Vale Vir Clarissime, et me favore tuo complecti perge.

Amstelodami. 23 Augusti 1694.

102 [1]).

Jano Broukhusio
G. Bidloo [2]).

„Habes, quod multi desiderant, Carmen Tuum in Illustrissimum Praesidem, cujus in Te Franciumque animus ineffabili flagrat benevolentiae ardore" (?) [3]). — Mittit dissertationem suam [4]).

Lugd. Bat. 11mo Xris 94.

---

1) In Bibliotheca Lugdunensi.

2) Godefredus Bidloo (1649—1713), Amstelaedamensis, in Academia Franequerana operam dedit medicinae. Habitavit Hagae Comitum, a. 1690 praepositus est medicis illis, qui exercitus nostros sequebantur, inde ab anno 1694 ad 1701 Lugduni profitebatur anatomiam. A. 1701 medicus fuit Gulielmi III; rege mortuo (1702) iterum professor creatus est Lugduni. Opera edidit de anatomia et tragoedias nonnullas Gallicas vertit.

Bidloo amicitiam iunxit cum Broukhusio, qui nuptias eius celebravit (est carmen, ut apparet e codice manu scripto, satis lascivum, quod legimus in *Poem.*, pag. 467), et librum eius de anatomia laudavit (l.l., pag. 249). Amicitiae postea in odium se verterunt (cf. Epist. LXVII, LXXVI).

3) Non intellego, quid illa verba sibi velint. Sermo esse videtur de Broukhusii carmine *Ad Everardum Danckelmannum*. (Vide ad Epist. 99).

4) Est fortasse oratio inauguralis: *De antiquitate anatomes*, quae a. 1694 prodiit.

103 [1]).

Jano Broukhusio
I. F. Cramerus.

Sub finem huius hebdomadae cogitur „jussu Patroni" sui in viam se dare ut revertatur Berolinum. Gratias agit pro „prolixa Tua in me vo'untate, cujus vel infinita documenta mihi dedisti." . . . . „Si in animum induxeris litteras dare ad Virum Illustr. Danckelmannum, communem Patronum, eo consilio, ut constantiam Tuae erga summum Virum voluntatis declares, simulque significes, per Te non stare, quo minus ejus voluntati de Ponte versibus celebrando [2]) quam primum fiat satis, dummodo statuarum, quae in illo collocabuntur, edantur nomina; hoc, inquam, si feceris, easque litteras mihi perferendas commiseris, adventum meum Maecenati nostro multo gratiorem et jucundiorem fore confido." — Danckelmanni filius, „alummus quondam meus", ab imperatore Leopoldo *Rycx Hoff-Raedt* renuntiatus est [3]). Epigramma, quo manes Pufendorfii [4]) Broukhusius cohonestavit, valde placuit. „Dabam dormituriens".

Trajecti Batav. a. d. XIII. Decembr. CIƆIƆCXCIV.

---

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Sermo esse videtur de ponte Berolinensi, quem dicunt „Kurfürstenbrücke". Cum ille a. 1703 ornatus esset statua equestri Electoris Frederici Gulielmi B. in illam statuam carmen composuit (cf. *Poem.*, pag. 386).

[3]) Fuit Fredericus Carolus Danckelmannus, cui Wetstenius a. 1696 opera Aonii Palearii a Broukhusio collecta dedicavit.

[4]) B. composuit carmen: *In obitum Samuelis Pufendorfii* (*Poem.*, pag. 376). Samuel Pufendorf, natus a. 1632 in Saxonia, opera historica et iuridica scripsit, quibus maximam sibi gloriam comparavit. Obiit Berolini d. XXVI Octobris 1694.

104 [1]).

Jano Broukhusio
Jo. Brandt [2]).

Mittit librum suum de Paulo [3]). Si vitia insint, ut Broukhusius illa impertiat, rogat.

Hagae Comitum, 24 Dec. 1694.

105 [4]).

Jano Broukhusio
E. Danckelman.

Gratias agit pro epistola Broukhusii et gratulatione de nova accessione dignitatis filii natu maximi.

Berolini. a. d. XXIX. Decembris CIƆIƆCXCIV.

106 [5]).

Jano Broukhusio
Jo. Brandt.

„Tuum illud carmen avidis oculis manibusque arripuit idem illud consortium, quod in seram vesperam colloquia sua te praesente protraxit, quod forte fortuna coactum erat eo ipso tempore quo felix super infelix subjectum Poëma bonis avibus ad nostras manus perveniebat: illico bonis laudibus in coelum tollere, proelo mandare uti Catullianum, hoc est tuum" ...... „Ipsi Gallo exhibitum est, qui promisit intimis suis, se nec velle nec posse respondere: nec crediderim furem umquam odioso stigmate notatum, cui in tantum omnis

---

[1]) Epistola, quae est Belgico sermone scripta, est in Bibliotheca Lugdunensi.

[2]) Vide ad Epist. LXXII.

[3]) *Het leven van den Apostel Paulus. 's Gravenhage*, 1695. D. XV Aprilis B. carmen in hunc librum composuit (*Poem.*, pag. 138).

[4]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[5]) Ibidem.

animus excidit. Caput et caudam addere visum erat, ne extra captum etiam vulgarium Gallus hic evolaret: hoc nomine gratias tibi agimus maximas" [1]).

Hagae, 19 Martii 1695.

107 [2]).

Jano Broukhusio
Joannes Georgius Graevius.

Mittit orationem, qua „Optimae Maximae Reginae" parentavit [3])..... „Ubi constitueris eum (Propertium) praelis subiicere, fac quaeso me antequam operae manus tuis notis admoveant certiorem, ut aliquid subsicivi temporis impendam schedis meis excutiendis. De Rutgersii [4]) lectionibus Venusinis quid statuerit Burmannus noster, in cujus nunc sunt manibus, ex ejus litteris cognosces. Huic editioni si et tuas adjeceris animadversiones, de optimo poetarum et re litteraria praeclare mereberis."

Trajectii, VII Aprilis CIƆIƆCXCV.

CVIII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Munus tuum praeclarum, mi pater, quo desideratissimae Reginae parentasti, recte accepi; perlegi quoque

[1]) Sermo esse videtur de epigrammate *In Gallum Coloniensem* (*Poem.*, pag. 269).

[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[3]) D. V Martii Graevius orationem recitavit de morte Reginae Mariae Stuartae.

[4]) Janus Rutgersius, natus a. 1589 Dordraci, denatus a. 1625 Hagae Comitum, litteris operam dedit Lugduni et Lutetiae. Doctor iuris renuntiatus Aureliae, Ictus Hagae, postea in Sueciam se contulit et fuit Regis Gustavi Adolphi a consiliis. Scripsit: *Variarum lectionum libri* VI (1618); *Poemata* a Nicolao Heinsio collecta sunt a. 1653. Eius *Lectiones Venusinae* a Burmanno in Horatio suo (1699) sunt insertae.

non sine summa animi voluptate simul ac dolore. Fuisse illam summis semper virtutibus conspicuam omnes scivimus [1]; tu vero multa nos docuisti domestica cujusvis generis exempla, quae nostri loci atque ordinis homines fallere fere ac fugere solent. Et haec sunt illa ad quae exigi debet rerum sinceritas in altissima illa fortuna. Quare eas tibi gratias ago, quas me agere oportet pro ista luculenta tui erga me amoris testificatione. De Propertio quod mones, gratum est. Notae in illum meae caste ac pudice in scriniis habentur, neque oderunt claves et sigilla. Cave autem putes prodituras umquam, nisi prius sub tuum missae fuerint arbitrium Tu unus omnium nosti optime, quam parum me titillet famae nescio cujus pruritas, neque magis te fugit, quam sollicite animi angar, ne quid olim dicar effudisse praecipitanter nimis atque inconsiderate. Quocirca pigneror promissum tuum, utque horula aliqua subseciva chartophylacium tuum in amiculi gratiam excutere velis, summopere abs te contendo. Eadem opera et rebus meis paupertinis subventum ibis, et optimo poëtae consultum cum meritissimo plausu literatae posteritatis. De repertis (nam credi poterant periisse) Rutgersii Venusinis Lectionibus est quod nobis et bonis omnibus gratulemur. Ego eas post textum, ut vocant, Horatii solas edi cupio, absque ullis vel meis vel cujusvis alterius phaleris. Fateor, multa mihi jam pridem in eum poëtam observata, non nulla etiam, nisi ipse mihi blandior, non pessimi saporis, verum omnia adhuc confusa, indigesta, et vix annuo labore explicanda. Est enim ea naturae meae tarditas, in his quidem negotiis, ut nullus sit typographus adeo piger, adeo testudineus,

---

[1]) B. carmina funebria scripsit in Reginam (*Poem.*, pag. 117, 283).

cui ego usui esse possim. Ut jam taceam, nulla opus esse hedera mercibus Rutgersianis. Explicatius agam cum ipso nostro Burmanno [1]), cui tu haec melius persuadebis atque efficacius, utque editionem elegantissimi libri maturet diligens hortator instabis. Vale Vir Clarissime, et tuum Broukhusium, quod facis, am re perge.

Amstelodami. 19 Aprilis 1695.

109. [2]).

Jano Broukhusio
Theod. Jansonius ab Almeloveen.

Cur non scribis? „Aevum est quod te non exceperim hospitio, annus quod non viderim a Te quicquam literarum." .... „Haec vobis tradi voluit noster Ketelius, quae nimium diu nidum servarunt." ..... „Ante paucos dies tristem valde accepi nuntium, periisse nempe in via quaedam Casauboniana dono mihi a Cl. Bernardo [3]) prof. Oxoniensi missa. Is valde desiderat scire quaenam sint illa fragmenta Canteri [4]) e poëtis collecta, an ex impressis excerpta libris an vero ex ineditis congesta codicibus. Fac me certiorem," caet.

Goudae. a. d. XVI. Kal. Augusti CIƆIƆCXCV.

---

1) De Petro Burmanno vide Praefationem, pag. 8.

2) In Bibliotheca Lugdunensi.

3) Edward Bernard (1638—1697), Anglus, celeberrimus fuit astrologus atque philologus. Multos edidit libros.

4) Nescio quem librum Almelovenius significet. Guilielmus Canterus (1542—1575), Traiectinus, operam dedit litteris Lutetiae, Germaniam atque Italiam visit, obiit Lovanii. Et alios libros edidit et *Novarum lectionum libros* IV (Basileae, 1564). Liber ille continet fragmenta e multis auctoribus, commentarios atque emendationes. Frater Guilielmi, Theodorus (1545—1617), ut ille Lutetiae vixit; a. 1574 Antwerpiae in lucem emisit librum: *Variae lectiones.*

CX.

Theodoro Jansonio ab Almeloveen Janus Broukhusius.

Quod tam calide conquereris, mi Almeloveni, super infrequentia mearum literarum, rem facis et amore tuo dignam, et mihi sane quam jucundam, qui eo argumento compellor ut credam me amari abs te non vulgarem in modum. Quid ego autem ad te scribam, homo splendide miser, et mille tricis obsessus a dulci Musarum alloquio longe longeque alienis? An vero inanes tu tibi literas obtrudi postulas, quarum te mercedis statim pigeat necesse est? Haud ita vilis apud me est otii tui ratio, quod scio melioribus curis deberi. Valde doleo de jactura quam fecisti rerum Casaubonianarum, et vereor ut reparari possit. Fragmenta Canteri collecta sunt e libris impressis. Sed et in his ipsis damnum factum est non sarciendum ulla humana ope, ne te solum reputes inter infelices numerari. Periit enim Canteri Commentarius in illa fragmenta, absolutus et ad umbilicum perductus. Eum Commentarium, una cum fragmentis, (quae ego olim sum nactus ex reliquiis naufragii praeceptoris mei Junii) habuit Gerard. Jo. Vossius, uti constare tibi poterit ex catalogo ejus bibliothecae. Videtur autem periisse per negligentiam viduae Junianae: aut est fortasse istinc surreptus ab aliquo vulture literario, qui nunc potest incubare alieno thesauro. Certe nobis frustra desideratur. De carmine vestri Ketelii magnas gratias ago. Vis et judicium meum? Vix ullum vidi de tot lessis funebribus, quem illi satis digne conferre possim: adeo spirat poëtice ac Latine, adeo bonam mentem ubique agnosco. Vellem intelligerent Proceres urbis vestrae sua bona.

Excitandus est tibi vir ille ut saepius scribat, neque sit adeo negligens famae suae. Crede mihi, talium ingeniorum hodie oppido cara est annona. Ne tamen omnia me putes collaudare, nullo facto discrimine, quid sibi vult hic versiculus p. 10? *Putrida squalet humus nitido collatus olympo?* Nisi fallor, deseruit hoc loco virum sua acrimonia. Nec placent tot nomina Hebraea, etiam Hebraice inflexa. Nitidius id genus totum exprimitur vel epithetis patronymicis, vel alia aliqua ratione apud aures Latinas magis familiari. Et sunt in promtu exempla magnorum poëtarum. Accipe nunc, (ne frustra ad scribendum proritaveris) quid a te praestare mihi postulem. Ex auctione Byleveldiana, quae apud vos habebitur, hos mihi libros emi velim, si justo possunt pretio comparari. In quarto no. 220, *Mori Utopia* [1]. In octavo no. 52, *Vallae annotationes in N. T.* [2], no. 120, *Fabricii poëmata sacra* [3]. In duodecimo no. 44, *Reusneri Aenigmatographia* [4]. Ego pretium hic refundam apud aliquem tuorum cog-

---

[1]) Thomas More (1480—1535), Anglus, rempublicam gerens a Rege Henrico VIII capitis damnatus est. Eius liber *Utopia* (1518) conferri potest cum Erasmi libello: *Stultitiae laus.*

[2]) Laurentius Valla (1407—1457); natus Romae, magnam laudem sibi comparavit libro *De donatione Constantini magni*, et versionibus Latinis Herodoti atque Thucydidis. Anno 1505 Lutetiae prodierunt *Annotationes in Novum Testamentum.*

[3]) Georgius Fabricius (1516—1571), Germanus, celeberrimus fuit poëta Latinus. Eius *Poematum sacrorum libri* XV lucem viderunt a. 1560 Basileae.

[4]) Nicolaus Reusnerus (1545—1602), Germanus, scientiam iuris profitebatur Argentorati atque Athenis ad Salam. Permultos libros in lucem emisit. *Aenigmatographia seu Sylloge aenigmatum et logographorum convivalium, ex variis auctoribus collectorum* prodiit Argentorati a. 1589, Francofurti a. 1602.

natorum, quem tu mihi designaveris. Simul desidero scire, quis homo fuerit Florentius Schoonhovius [1]), poëta vestras, quo genere, quibus fortunis, etc. Erit enim aliquando de eo dicendum aliquid, ubi censum egero, et lustrum condidero poëtarum Belgarum, Censor sine populi suffragiis. Sed quid haec nostra ad populum, inscitam belluam atque inficetam? Quando tamen id ipsum sit futurum, nondum plane apud animum meum constitui. *Viderit Deus, qui corda poëtica versat.* Levia ista, dices, et paullo momento huc illuc impulsa. Ita sane. Verum eo promtior spes est aggrediendi et conficiendi totius negotii. Quamquam et spes est desinendi. Ecce, amice, verbosam epistolam, et magna nugarum farragine contextam. Nunc tu vicissim scribe, quando debeamus expectare Vitam Casauboni [2]), quando Epistolas, et si quid praeterea mens tua parturit. Denique, an umquam prodíturum sit Baelii Criticum opus. Vale mi suavissime Almeloveni, et tuum Broukhusium amare perge.

Amstelodami. 30 Julii. 1695.

---

[1]) Florentius a Schoonhoven (1594—1648), Goudanus, Lugduni causis dicendis operam dedit. Carmina Latina composuit, quae a. 1613 primum prelo commissa sunt.

[2]) Isaacus Casaubonus (1559—1614), Genevensis, operam dedit litteris in Academia patria; ab anno 1583 ibi linguam Graecam profitebatur. Eodem munere functus est Lugduni, unde Rex Henricus IV eum Lutetiam Parisiorum avocavit eumque praefecit bibliothecae suae. Rege mortuo Casaubonus vixit Londinii. Vir inprimis eruditissimus edidit Aristotelem, Theophrastum, Polybium, Diogenem Laertium, Suetonium, Persium, alios, scripsit: *Animadversionum in Athenaei Deipnosophistas libri* XV (Lugduni, 1600), *De Satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira libri* II (Lutetiae, 1605); caet.

A. 1709 Almelovenius edidit Roterodami: *Casauboni Epistolae*, quibus eius vitam praefixit.

CXI.

Theodoro Jansonio ab Almeloveen Janus Broukhusius.

Librum quem petis, en habes, amice. Si quid istius generis amplius est, quo te indigere putabis, (quamquam quid ego carbones meos jacto ad tuum thesaurum?) tamen si quid est, numquam tibi claudetur mea benignitas. Valde placet consilium tuum de adjungendis interpretibus Gallicis: nam neque librum gravabunt nimia mole, et habet uterque quod scitu sit utile pariter ac jucundum. Inprimis Longapetraeus. Hujus in editione legitur eximium carmen in Sapphonem: eo quid fieri placebit? Gallicum est, inquis. Sane: sed et Notae et Versio ejusdem sunt idiomatis. Vides quid velim: sed tamen tui arbitrii res esto Ecquid hunc librum nosti? *La nobilta et l'eccellenza delle donne, co'diffetti e mancamenti de gli huomini, Discorso di Lucretia Marinella. In Venetia*, 1621,8 [1]). Numquid et hae tibi innotuere mulieres? Catherina Landa (?) [2]), Anna Estensis [3]), Laurentia Strozzia [4]), Margaris Marquardi Freheri [5]), Isota, Genebria, Angela Nagarolae,

---

[1]) Lucretia Marinella (1571—1653), nata Venetiis, libros atque poëmata edidit. Liber laudatus prodiit primum a. 1608.

[2]) Et illam et alias e mulieribus a Broukhusio laudatis ignoro.

[3]) Fortasse significat Annam, filiam Herculis II d'Este, ducis Ferrarae Mutinaeque (1508—1559), et Renatae, filiae Ludovici XII, Regis Franciae.

[4]) Laurentia Strozzia (1514—1591), nata Florentiae, hymnos atque odas Latinas composuit. A. 1588 edidit librum: *In singula totius anni solemnia hymni.*

[5]) Fuit fortasse filia Marquardi Freheri (1565—1614), qui professor iuris fuit Edelbergae atque principi Palatino a consiliis.

Anna Pallantia [1]), Isabella Villamarina. Vide quam sim liberalis oeconomus, qui ad instruendas tuas epulas saliares non verear exhaurire meam paupertinam cellulam. Gruterus [2]) olim molitus est magnum opus in laudem hujus sexus, cujus materies (neque enim aliud habeo) commodum mihi est ad manus. Accipe, amice, et utere, si quid in usum tuum hic erit. Statim atque tuas accepi, respondeo: quae res in caussa est, quur Francium a te nondum salvere jusserim. Burmannus noster factus est literarum Professor extraordinarius in Academia patria [3]). Vale Vir Clarissime, et Broukhusium tuum amare perge.

Amstelodami. 14 Decemb. 1696.

112 [4]).

Jano Broukhusio

Joachimus Targirus [5]).

Gratias agit pro carmine Broukhusii in librum suum medicum [6]).

Dordraci, VIII Kal. Jan. CIƆIƆCXCVII.

---

1) Anna van Pallandt, filia Theodorici van P., Latina atque Gallica carmina composuit. Amica fuit Jani Gruteri.

2) Janus Gruterus (1560—1627), natus Antwerpiae, operam dedit litteris Cantabrigiae atque Lugduni. A. 1589 fuit professor historiarum Wittenbergae, a. 1592 Heidelbergae, a. 1603 praepositus est Bibliothecae Palatinae. Edidit Plautum, Statium, Ciceronem, Martialem, Senecam, sexcentos scripsit alios libros.

Ex epistola, quam Broukhusius d. VI Maii 1703 dedit Burmanno, apparet et Graevium et Broukhusium carmina Gruteri manu scripta habuisse.

3) D. X Decemb. professor historiarum extraordinarius creatus est.

4) In Bibliotheca Lugdunensi.

5) Ignoro hominem.

6) *In Joachimi Targerii Medicinam compendiariam* (*Poem.*, pag. 240). Carmini tamen ascriptus est dies II Febr. 1697.

113.

Theodoro Jansonio ab Almeloveen
Janus Broukhusius.

Gratulatur ei, quod professor historiarum, eloquentiae et linguae Graecae creatus est in Academia Harderovicensi [1]).

Amstelodami. 17 Martii 1697.

114 [2]).

Jano Broukhusio
Menso Alting [3]).

Gratias agit pro carmine in librum, qui in eo est ut in lucem proferatur [4]).

Groningae Fris. a. d. IV. K. Junias s. v. CIↃIↃCXCVII.

115 [5]).

Jano Broukhusio
Lucas Rotgans [6]).

Rogat ut carmen de Guilielmo III Broukhusius adornet poëmate [7]). Mittit descriptionem eius operis.

(Sine dato) [8]).

---

[1]) B. postea carmen misit (vide *Poem.*, pag. 320), scriptum d. XIX April. 1697.

[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[3]) De Altingio vide ad Epist. 95.

[4]) Cf. *Poem.*, pag. 129. Carmen compositum est d. XXIII Martii.

[5]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[6]) Lucas Rotgans, Amstelaedamensis, natus est anno 1654, arma sumpsit in bello, quod a. 1672 exarsit, postea habitavit villam „Cromwyck” ad flumen Vechtam sitam. Multa carmina Belgica composuit. Obiit a. 1710.

[7]) Huic voluntati Rotgansii Broukhusius satisfecit (vide *Poem.*, pag. 247).

[8]) Guilielmeis prodiit a. 1698 Traiecti; privilegium

116.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Commendat Graevio Italum, Joannem Angelum Berniam [1]) nomine, doctorem Theologiae, qui fidem mutavit et exsul frustra se suamque familiam sustentare conatus est lingua Italica docenda. Fortasse Traiecti in erudiendis studiosis eius labor melius et successurus.

Amstelodami. 20 Septemb. 1697.

CXVII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Callimachum tuum [2]), Vir Clarissime, magna cum animi laetitia recte accepi, munus splendidum, et suo auctore dignum. Pro quo si tibi gratias egero, quantas quidem sentio me debere, quid aliud effecero, nisi quod inopiam ingenii nudavero? Tu nosti, mi pater, hoc pectus; quum plurima debeam effusissimae illi tuae erga me comitati, tamen plura semper debere volo. Adjunxeras Propertium cum libro Borrichiano [3]) collatum, gratissimas epulas famelico convivae, cui utinam plures id genus deliciae obtingant. Describam

---

tamen Ordinum Hollandiae est d. XXX Julii anni 1697. B. carmen composuit d. XII Aug. 1697. Inde epistolam Rotgansii hoc loco inserui.

[1]) Nescio quis fuerit. A. 1697 Johannes Angelus Berniera, Italus Bononiensis, in albo studiosorum Traiectinorum inscriptus est.

[2]) Est Callimachus a Theodoro Graeviore cognitus (vide ad Epist. 61).

[3]) Olaus Borch (1626—1690), Danus, inde ab anno 1660 in Academia Hafniensi profitebatur philologiam atque herbariam. Postquam Italiam visit, a. 1675 praepositus est Bibliothecae Hafniensi. Nonnulla edidit opera.

quam primum, et codicem tibi transmittam. Jam enim hoc ipsum serio agetur. Fiet quoque honorifica mentio tam Vindingii, quam Wolfenii, quorum insignium virorum beneficio meliuscule erit praestantissimo poëtae [1]). Verum (quod monere debeo) videtur tibi excidisse Wolfenii praenomen. Significa quaeso quam primum, nam et eo mihi scito opus est. Heri ad me visebat Doctor Rau [2]), cui ego quidquid in me erit commodare volo. Sed non nisi dextro tempore agendum erit, et circumspecte. Vale saeculi decus, et me amare perge. Amstelodami. 11 Octob. 1697.

Rotgansii odam nuperam legi, et valde probavi. Debeo ipsi responsum, sed nunc non possum. Quotidie enim, facta jam pace, aliquot de argonautis nostris laceri ac nudi ad nos remeantes

Emergunt cano Tethyos e gremio.

Iis me nunc inservire aequum est. Iterum vale, mi pater.

118 [3]).

Mensoni Adriani [4])

Janus Broukhusius.

Mittit carmen funebre in avunculum Joannem Mensingam [5]).

Amstelodami. 3 April. 1698.

---

[1]) Vide Epist. CXXIV et Praefationem ad Propertium.

[2]) Joannes Jacobus Rau (1668—1719), Germanus, celeberrimus fuit chirurgus. Juvenis tota fere Europa vagabatur, a. 1694 Lugduni medicinae doctor est creatus. Amstelaedami chirurgiam exercebat, a. 1713 Lugduni professionem anatomiae suscepit. De morbis vesicae nonnullos scripsit libros, et versatus erat in arte calculos amovendi. Hanc ob rem B., qui illo morbo laborabat, eum consuluit.

[3]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[4]) Nescio quis fuerit.

[5]) Cf. *Poem.*, pag. 288. Mensinga obiit d. V Martii.

119 [1]).

(Francisco Halmae [2])
Janus Broukhusius).

Quadringentos libros, inprimis Graecos, vendere vult [3]).

Amstelodami, 22 Octob. 1698.

120.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Gratias agit pro Cicerone Graevii, quem accepit [4]).

Ex mea eremo. VIII. Octob. 1699.

121 [5]).

Jano Broukhusio
David ab Hoogstraten [6]).

. . . . „Scito me nihil omnino scire de toto carminum nostrorum negotio. Sed significare volui, si forte

[1]) In Bibliotheca Lugdunensi. Epistola Belgico sermone scripta est.

[2]) François Halma (1653—1722), bibliopola Traiecti, deinde Amstelaedami, postremo Leovardiae, amicitias iunxit cum multis viris doctis atque poëtis Ipse sibi famam consecutus est carminibus Belgico sermone scriptis.

[3]) Mense Martio 1699 B. Amstelaedamo migravit in pagum Amstelveen.

[4]) Graevius a. 1699 Ciceronis Orationes edidit.

[5]) In Bibliotheca Lugdunensi.

[6]) David van Hoogstraten (1658—1724), Roterodamus, arti medicinae operam dedit Lugduni. Dordraci medicinam exercebat, postea conrector fuit Gymnasii Amstelaedamensis. Edidit carmina Belgica atque Latina, vertit Belgice multos auctores Latinos. Amicus fuit Broukhusii, qui illi omnes libros suos manu scriptos et magnam partem bibliothecae suae legavit. Hoogstratanus et carmina Latina Broukhusii et poëmata vernacula iterum edidit.

defuncti vidua aut parentes malint supprimere haec praeconia, ejusque rei hanc illamve causam, ut fit, interponant, eos frustra id facturos, cum noster tamen suum laborem publico sit commissurus. De meo aeque incertus sum, nisi quod tuo hortatu illuc perlatum est[1])." . . . .

2 Decemb. 1699.

CXXII.

Joanni Georgio Graevio Janus Broukhusius.

Questus est apud me nuper communis noster amicus Franciscus Halma, quum familiariter ageremus de novo Thesauro veterum Inscriptionum [2]), complures sibi quotidie difficultates suboriri, unde emergi vix posse arbitretur, et quas si praevidere potuisset in tempore, non se fuisse suscepturum tantorum sumtuum opus. Etiam nullos, qui nomina sua dent ad conditiones evulgatas, comparere. Ob eam rem angi se animo, neque satis scire quo se vertat, nam nec deserere opus promissum posse citra jacturam bonae existimationis, neque pergere omnino in tantis angustiis. Jacere etiam nunc

---

[1]) Sermo esse videtur de carmine funebri in Petrum Bernagium (1656—1699), qui medicinam profitebatur in Athenaeo Amstelaedamensi. Fuit amicus Broukhusii (cf. *Poem.*, pag. 125). Bernagius obiit d. XXVIII Novembris 1699; B. postridie carmen funebre composuit (*Poem.*, pag. 292), et in Hoogstratani *Carminibus* (1700, pag. 92) legimus poëma: *In obitum Petri Bernagii.*

[2]) Anno tandem 1707 prodierunt Amstelaedami *Inscriptiones antiquae totius orbis Romani, in absolutissimum corpus redactae olim auspiciis Josephi Scaligeri, et Marci Velseri, industria autem Jani Gruteri, nunc curis secundis ejusdem Gruteri et notis Marquardi Gudii illustratae, cura I. G. Graevii.*

Lipsiae syntagmatis Reinesiani [1]) exemplaria quasi trecenta, quae sibi coëmenda sint certissima argenti jactura, pari ratione agendum fore cum Sponii Miscellaneis [2]). Et quae sunt id genus infinita, quae ipse tibi, Vir Clarissime, peritius ut puto exponet. Vidi certe non haec jactari de nihilo, et praeterea, ut nunc sunt mores, vix ullam spem adfulgere ut opus tantae molis parisque pretii multos inveniat emtores. Ne tamen nihil agatur, et honos amici nostri salvus maneat, visum fuit tecum, mi pater, aliquid deliberare super nova editionis ratione, hac lege, ut tu corrigas si quid ego aberravero. Puto initium fieri debere ab opere Gruteriano [3]), Boissardi [4]) tabulis nitide exornato, inscriptionibus et a Grutero et a Gudio [5]) quam diligentissime emendatis, novo cognominum indice adjecto, ceteris indicibus perpurgatis et studiose suppletis. Addi debent quaecumque hic illic ab eruditis viris observata

---

1) Thomas Reinesius (1687—1667), Gotanus, medicinam exercebat. Edidit: *Variae lectiones* (1640) et *Syntagma inscriptionum antiquarum. Lipsiae* (1682).

2) Charles Spon (1647—1685), natus Leonae, celeberrimus fuit antiquitatis investigator. Postquam medicinae operam dedit, visit Italiam, Graeciam, Asiam. De inscriptionibus antiquis multa opera edidit; a. 1685 prodierunt Leonae *Miscellanea eruditae antiquitatis.*

3) Gruteri *Inscriptiones antiquae totius orbis Romani....* prodierunt Edelbergae a. 1606.

4) Jean Jacques Boissard (1528—1602), Gallus, in Italia vivebat. Et poëmata et multos libros de antiquitatibus Romanorum edidit. Nescio quem librum B. hic significet.

5) Marquardus Gudius (1635—1689), Rendesburgensis, visebat Hollandiam, praefuit bibliothecae in Holsatia, deinde vivebat in aula Danica.

Quomodo Gudii manu scripta ad Graevium pervenerint, incertum est. Burmannus a. 1697 Gudii epistolas, a. 1698 eius commentarios in Phaedrum edidit.

sunt vel ad lucem vel ad correctionem Inscriptionum Gruterianarum, indice itidem adjecto quam fieri poterit accuratissimo. Ea collectanea comprehendi poterunt, ni fallor, tomo syntagmatis secundo. Pighii notulas [1]) ego jam descripsi. Est praeterea penes me (nondum tamen proprium ac plane meum est) fragmentum magni operis, ab nescio quo Hieronymo Borsaerio libris XXIV conscripti, titulo *Theatri Insubricae Magnificentiae* [2]). In eo fragmento quam plurimae inscriptiones commentario luculento illustrantur, nummi etiam non pauci docte ac perite exponuntur, additis et lapidum et nummorum figuris. Labor est egregius, utinam et integer. Ego sane magno redemtum velim. Haec opinor editionem efficient antiqua ista plurimis partibus commendabiliorem, et typorum et chartae nitore et usu denique ipso inaestimabilem. Tertius tomus complectatur Marquardi Gudii collectionem, ad faciem operis Gruteriani indicibus itidem suis instructam. Huic adjici debent (siquidem inveniri poterunt, atque aere comparari) Joannis Macarii Inscriptiones Graecae [3]), cum versione Latina et Notis. Id opus creditur exstare in Collegio trilingui Buslidiano, quod Lovanii est. Atque hoc Catone nunc quidem contenti simus, quandoquidem ut volumus non licet. Tu, mi pater, si nihil dissentis, cogitandum erit quam primum de novis conditionum tabulis, quae priores istas honestis rationibus adductis tempestive excusent. Haec ego sic mecum cogitabam, nihil tamen statuens, nisi sciero quid tui sit consilii. Vale Musarum ingens decus, et me, quod facis, amare perge.

---

[1]) Pighius iussu Cardinalis Marcelli Cervini farraginem inscriptionum antiquarum collegit.

[2]) Ignoro hominem.

[3]) Nescio quis fuerit.

Salutat te noster Hoogstratanus, cujus Carmina Latina [1]) brevi videbis.

In eremo suburbano. 18 Julii 1700.

CXXIII.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Huetii Poemata [2]), te donante mi pater, recte mihi tradidit noster Halma, munusculum animo meo egregie carum, et suo ipsius pretio, et vel maxime a dantis manu. Quare gratias tibi ago, Vir Clarissime, et pro hac tua munificentia et pro illo tuo prolixissimo in me studio atque amore, quem ego in prima parte ponere soleo felicitatis meae. De meo Propertio tardius est negotium atque ego initio rebar; nondum ei manus admota est. Neque ego valde urgeo, quin imo si res esset integra, numquam credo perrumperet clatros labor hic, quem ego, ut nunc quidem sunt mores, uni mihi sumsisse debebam, non iis qui sibi Laelii ac Persii videntur hujus fatuae tempestatis. Nunc autem meam Wetstenio fidem dedi, in qua perstare debeo etiamsi nollem. Cum nostro Halma egi nonnihil super nova editione Theocriti, sed is ipse aut jam opinor ad te scripsit de ea re, aut certe scribet brevi. Selegi his diebus, eo rogante, pauculas e Boissardo tabellas, Inscriptionum opus exornaturas, sed tales, ut vel abesse non possint, vel habeant aliquid eruditi argumenti, quo

---

1) *Davidis Hoogstratani Carmina. Amstelaedami. Apud Franciscum Halmum*, MDCC.

2) Graevius a. 1694 prelo mandavit: *Petri Danielis Huetii, Viri Illustris, Poemata Latina et Graeca. Trajecti. Ex officina Guilielmi Broedelet.*

carere aegre velit lector paullo curiosior. Cuperi [1]. diatriben de Elephantis videre avide desidero; amo enim omnia quae ab eo viro proficiscuntur. Oxoniensium epitaphia in Ducem Glocestriae [2]) nondum oculis usurpavi. Ut verum fatear, istius orbis deliciis jam diu est postquam didici non impatienter carere. Acrius desiderium me tenet tui Ciceronis, in quo perpoliendo te assiduum esse et opto, et certe scio. Utinam mihi aliquando libros illos philosophicos evolvere liceat a tua lima castigatos! Numquam erit ut his musteis sapientiae magistris suum silphium invidere velim. Tu mi pater, ut (?) labori superesse possis omnium utilissimo [3], cura ut valeas, et tuum Broukhusium amare perge, qui te unice.

In eremo suburbano Amstelod. 2 Februar. 1701.

CXXIV.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Propertii mei descriptio jam eo perducta est, ut fere ad umbilicum sit perventum, neque quidquam a me desideretur extra exiguam praefatiunculam ad lectorem. In qua quum decreverim parcus esse, evitato omni genere ampullarum, ea tantum dicam quae dicenda

---

[1] Gisbertus Cuperus (1644—1716), Gelrus, litteris operam dedit Lugduni, vixit Lutetiae, consul fuit et professor linguae Graecae atque Latinae Daventriae, nomine Ordinum Transisalanorum fuit legatus ad Ordines Generales, comitatus est duces nostros in bello, multos scripsit libros de re nummaria. Eius liber *De elephantis in nummis obviis* nescio quo anno primum prodierit.

[2] Dux Glocestriae, filius Annae Stuartae, quae a. 1702 rempublicam Anglicam capessivit, a. 1700 obiit.

[3] Graevio non contigit omnia Ciceronis opera philosophica edere.

erunt; hoc est, libros eos, qui emendando poëtae meo facem mihi praeluxerunt, indicabo, cum grata simul commemoratione illorum virorum, quibus vel librorum usuram debeo, vel excerpta variantis scripturae. In hoc genere sunt codicis Borrichiani lectiones, ad te, mi pater, ante annos quinque e Dania transmissae a Viris Clarissimis Vindingio et Wolfenio. Ita enim tum ad me scribebas: „Cui debemus haec excerpta, est Paullus Vindingius Erasmi F., qui Regi est a consiliis in jure dicundo, et simul Professor est Graecae linguae, et inspector Collegii Medici. Nam rogatu Wolfenii, archiatri Principis haereditarii regni, et qui Regi est a bibliotheca, hanc nobis operam navavit. Utrique gratiae sunt agendae pro hoc officio publice." Ego vero agam sedulo, neque committam ut apud immemorem aut ingratum hoc suum se beneficium collocasse jure queri possint. Sed mihi scito opus est, ecquid in hac nova rerum Danicarum immutatione [1]) etiam mutata sit horum virorum fortuna, ne quid in eorum dignitatem peccem imprudens. Tum et Wolfenii praenomen scire desidero. Velim et utrumque editi libri exemplo cohonestare, si viam scivero. Tuum erit, Vir Excellentissime, aestum hunc meum explicare, quo securius labor hic meus in publicum exire possit. Adjice hoc etiam tot praeclaris tuis erga me meritis, et me, si mereor, amare perge, qui te supra omnes mortales et colo et veneror. Vale.

Amstelod. in eremo suburbano. 16 Julii 1701.

Literas tuas si vel ad Halmam miseris, vel ad Wetstenium, inde ego commode recepero. Nam quae ad

1) Ab anno 1670 ad 1699 Christianus V fuit Rex Daniae. Fredericus IV in eius locum regno successit.

me recta eunt, fere negliguntur, aut etiam plane dispereunt. Iterum vale meum decus.

CXXV [1]).

Francisco Hesselio [2])
Janus Broukhusius.

Languebam non nihil his diebus, mi Hesseli, quum acciperem literas tuas: neque etiam nunc satis belle habeo: sive haec est corpusculi mei imbecillitas, sive coeli et caniculae intemperies. Haec fuit caussa dilatae scriptionis. Elegia, quam misisti, bene placuit: ideo paullo uberiorem volebam, praesertim in argumento tam benigno. In ultimo versu, pro *Libertas valeat*, vide si tibi arridere potest *i bona Libertas*. Epistolam ad amicum tuum Elgerium [3]) quo minus Otiis tuis Haganis adjicias, nihil equidem intercedo. Puto tamen te recte atque ordine facturum, si singulos ejus epistolae articulos paullo latius atque distinctius diducas, ponasque omnia in luce aliquanto clariore. Neque enim res tam longe patens satis commode explicari potest angustis finibus epistolae non longae, ubi ipsius rei capita digito potius designantur quam describuntur. Neque tamen auctor sum, ut dicas quidquid hic dici potest. Brevitatem paullo diffusiorem desidero, sed quae tamen ipsa non desinat brevis esse. Exemplo tibi sint, quae Muretus

---

1) In Archivo Amstelaedamensi.

2) Franciscus Hesselius (1680—1746), Roterodamensis, Jctus, a. 1702 in urbe patria historiae et eloquentiae professionem suscepit. Eodem tempore edidit *Otia Hagana*, elegias, quas Broukhusio et Francio dicavit. B. Hesselium carminibus celebravit (cf. *Poem.*, pag. 27,269).

3) Willem den Elger (1677—1703), Haganus, Lugduni operam dedit scientiae iuris. Tragoedias nonnullas Gallicas vertit Belgice.

in Tibullum praefatus est atque in Propertium[1]) : quamquam tu, quae est ingenii tui felicitas, me monitore hic opus non habes. Danielem Heinsium ubi inter sectatores Propertii ponis, addere debebas id factum fuisse in Monobiblo [2]): nam sane in ceteris ad Nasonis imaginem totum se effinxit Heinsius. Wallium [3]) ego inter Ovidianos soleo numerare. De Rapini Elegiis [4]), deque iis quas nuper edidit Santolius [5]), non possum tam benigne sentire ut inter optimates locum iis dandum arbitrer. Apud utrumque plurima sunt, quae nemo Gallus ferre posset in poëta aliquo peregrino. Et ut dicam quod sentio, ego unam quamvis Grotii [6]) nostri elegiam mihi malo, quam quidquid in hoc genere conatus est umquam vel Rapinus vel Santolius. Sed tu haec certius videbis. Francius noster rus nescio quo profectus erat, cui tua ista non potui commonstrare. Vale mi Hesseli, et me, si mereor, amare perge.

Amstelod. Calend. Septemb. 1701.

CXXVI.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Tandem carceres perrupit Propertius meus [7]), qui

---

[1]) Muretus a. 1558 Catullum, Tibullum, Propertium edidit Venetiis.

[2]) Heinsius librum suum Elegiarum inscripsit *Monobiblon*, „Propertium etiam in titulo imitatus" (vide Peerlkamp, l.l., pag. 380).

[3]) Jacobus Wallius (1599—1680), Brugensis, e societate Jesu, novem libros Poëmatum scripsit.

[4]) De Rapino vide pag. 8.

[5]) Vide ad Epist. 82.

[6]) Hugonis Grotii *Carmina* primum prodierunt a. 1601.

[7]) *Sex. Aurelii Propertii Elegiarum libri quatuor*, *Ad fidem veterum membranarum sedulo castigati. Accedunt Notae, et terni Indices; quorum primus omnes voces Propertianas complectitur. . . . Amstelaedami Apud Henricum Wetstenium; ut et Rod. et Gerh. Wetstenios, H. FF.* MDCCII.

A. 1727 liber iterum prodiit.

utinam bonis avibus exeat in manus hominum doctorum, neque fallat quam commovit exspectationem. Schoppiis [1]) hodiernis ut placerem, neutiquam laboravi, strenuus contemtor omnium Cerberorum, etiamsi novis quotidie latratuum honoribus inaurentur. Tuo exacto judicio quomodo satisfecerim, id vero majori mihi curae est. Quocirca unice a te contendo, si quid amas tuum Broukhusium, ut inter legendum (neque enim ut horreas manum his naeniis admovere vel suspicari vel timere libet) ne negligere velis sicubi aberravero, aut cespitavero, diligenter me monere. Monebis autem gratum hominem atque memorem, quique pluris faciat a te uno in viam reduci, quam a trecentis aliis in coelum plausu efferri. Et erit retractationi locus vel in recentanda hujus vatis editione, vel in alio poëta laboribus meis fortasse perpurgando. Tuus vero Cicero quid agit? Non ita debet te totum occupare Inscriptionum opus, ut Tullii tui obliviscaris, et partam ex pulcerrimo opere gloriam in incude relinquas. Sed non facies, scio, quamquam cruciat nos mora ac desiderium jam ferme nimis longum. Age, noster Aesculapi, supremam manum impone labori utilissimo, et debeat hoc tuis vigiliis sermo Romanus ut tandem aliquando in Cicerone germanum ac verum habeamus Ciceronem. Vale vir summe, ac me, quod facis, amare perge.

Amstelod. in eremo suburbano. 4 Februar. 1702.

---

[1]) Casparus Scioppius (1576—1649), Germanus, multa edidit opera. Ab acerbissimis suis rixis litterariis praesertim habet famam.

127.

Theodoro Jansonio ab Almeloveen
Janus Broukhusius.

Mittit Propertium suum et gratulatur nova medicae professionis dignitate [1]).

Amstelod. in eremo suburbano. 4 Februar. 1702.

CXXVIII.

Francisco Hesselio
Janus Broukhusius.

Quam paene furvae regna Proserpinae,
Et judicantem vidimus Aeacum! [2])

Ita est, mi Hesseli: nam ultra trium mensium spatium me vexavit febris quotidiana, cum odioso comitatu dolorum nephriticorum. Hinc factum est, ut respondere nequiverim ad literas tuas, neque adeo debitas gratias agere pro honore, quo me mactum esse voluisti dedicatione tuorum Otiorum. Et credo excusavit me jam pridem apud te Francius noster: ita certe ego ab illo contenderam, et ille facturum receperat. Nunc tibi ego, mi Hesseli, pro ista prolixa animi tui comitate, quando nequeo aliter, Propertium meum mitto, quem tu ut ne invitus accipias vehementer oro atque obtestor. Poëta ipse tibi jam olim per est familiaris: restat ut arbitreris, ecquod ego precium operae fecerim nova hac mea recensione. Beabis autem me, ac pro ingenti munere habebo, si inter legendum adnotare volueris sicubi tibi

---

[1]) Inde ab anno 1702 Almelovenius non tantum historias, eloquentiam et linguam Graecam, sed etiam medicinam profitebatur. Iam ante nonnulla opera medica eius cura prodierunt.

[2]) Hor. Carm. II, 13, vs. 21.

visus fuero impegisse. Neque enim est animus, ubi rite monitus ero, errores meos turpi pertinacia tueri atque propugnare, quae propria dos est Schoppiorum hodiernorum. Bene inter bonos agi oportere, jam olim Plautus noster pronuntiavit. Me vero piget ac taedet harum literarum, quotiescumque hodiernam intueor studiorum conditionem. Sed haec erat alterius temporis querela. Tu vale, mi Hesseli, et me, quod facis, amare perge.

Amstelod. in eremo suburbano. 5 Februar. 1702.

CXXIX.

Joanni Georgio Graevio
Janus Broukhusius.

Plurimum te amo, mi Graevi, de ista tua pia sollicitudine super statu meae valetudinis, diu ac pertinaciter afflictae, et grande aliquod malum minantis. Me tamen respexit Dei clementia, atque ex his fluctibus longi morbi paullatim eripuit [1]. Haerent tamen vestigia, et lente convalesco, fortasse propter malam hujus hiemis intemperiem. Tibi gratias debeo pro doctissimo Dissertationum syntagmate [2], cujus utinam plura haberemus similia, et persuaderi typographis aliquando posset ut rejectis hominum quorumdam novorum nugamentis revocarent potius in lucem scripta utilissima clarorum ingeniorum, quae nullo suo merito in situ nunc atque in tenebris jacent. Propertium meum credo te jam accepisse, qui utinam non fallat tuam exspectationem! Quidquid sit, noli committere quin me severe moneas,

---

[1]) Broukhusius multos annos aegrotavit.

[2]) Anno 1702 prodiit Traiecti *Syntagma variarum Dissertationum rariarum, quas viri doctissimi superiore seculo elucubrarunt. Ex Musaeo I. G. Graevii.*

ubicumque tibi displicuero. Non monebis ingratum, neque ego umquam errores veteres novis tuebor erroribus. Et pulcre nosti, quantum mihi haec ratio scribendi stomachum saepe fecerit in Attilis Leidensibus [1]), qui, si ipsis de se credatur, numquam errant. Propertium Danicum quod a me repetis, multum miror. Ego eum, jam ipsum triennium est, ad te remisi per Burmannum nostrum, paullo ante quam ex urbe huc commigrarem. Qui libellus si periit, non est magna jactura; omnia enim ego manu mea fidelissime enotavi, unde Danis reddi potest id quod nobis ipsi praestiterunt. Commodum accidit ut ad eos destinaveris mittere emtos in auctione Wittiana [2]) libros; constitui enim ego duo addere exemplaria mei Propertii una cum illis, quae Vindingio dentur ac Wolfenio. Illa sive tu ad vos portari voles, sive rectius in hac urbe curari possunt, fac in tempore per Halmam aut Wetstenium sciam. Burmanni nostri orationem avide desidero [3]). Vale mi carissime ac jucundissime pater, et me, quod facis, amare perge.

Amstelod. in eremo suburbano. 27 Februar. 1702 [4]).

CXXX.

Francisco Hesselio
Janus Broukhusius.

Quod tam amice tamque honorifice sentis de meo

---

[1]) Significat Perizonium et Jacobum Gronovium, quibuscum B. usque ad mortem suam implacabiles gessit inimicitias.

[2]) De Wittio vide ad Epist. LXXX. Mense Januario a. 1701 obiit.

[3]) Burmannus d. XIV Martii Orationem funebrem habuit in obitum Hermanni van Halen, Theologiae professoris in Academia Traiectina.

[4]) Est haec postrema quam vidi epistola a Broukhusio ad Graevium data. Graevius mense Januario a. 1703 obiit; B. d. XV Jan. carmen funebre composuit (*Poem.*, pag. 287).

in Propertium labore, id sane, mi Hesseli, perquam mihi est jucundum. Neque enim has vigilias eo in lucem emisi, quo doctis viris displicerem, aut offenderem ingenia ad elegantias Romanas nata ac facta. Plebem minutam literionum nihil curo: non etiam canes illos grammaticos, qui nihil rectum credunt nisi quod ipsi fecerunt. De valetudine quod mihi gratularis, facis tu quidem amice: sed enata est mihi molesta ventriculi intemperies, cum multo cibi fastidio. Quae res multis me modis male habet; ita ut et ineptus sim ad laborem, et ipsa mihi studiorum tractatio propemodum sordeat; non aliter atque mulierculis accidere ajunt ex pica (?) laborantibus. Atque haec caussa est cur non respondeam ad officiosissimas literas praestantissimi Elgeri. Cui tu, quae tua est humanitas, facile excusabis hanc meam rusticitatem haud quaquam spontaneam. Feci tamen, uti petebas, exiguum epigrammation [1]; quod utinam ne referat domini sui languorem. Sed tu videbis, qui optime potes. Vale mi Hesseli, et me amare perge.

CXXXI.

Francisco Hesselio
Janus Broukhusius.

Invitus audio, mi Hesseli, de tua valetudine: quamquam et mihi mea non est nimis prospera, ab immoderato pituitae defluxu. Respiciet nos, spero, Salus. Interim feramus patienter, quod mutare non possumus. Magnum utrique nostrûm vel remedium vel solatium

[1]) D. XXIII Martii 1702 B. composuit carmen: *In Gulielmi Elgeri Emblemata amatoria* (*Poem.*, pag. 251).

repositum est in sacrario bonae mentis, in tranquillo Musarum secessu, in commercio dulcium libellorum. Hisce nos fomentis curemus, non sine abstinentia et quiete, omni Cartesianae medicinae choragio potioribus. Haec fuit Pythagorae medendi ratio, non aegre corporis morbis succurri credentis, ubi mens esset rite atque ordine composita. De Henninio [1]) egi non indiligenter cum eo, quem tu nominabas. Sic tamen, ut de te nulla sit suspicio injecta. Ajebat nuper cum aliquo periculo decubuisse, nunc vero meliuscule habere, postquam adsuevisset potioni lactis caprini. Te autem interrogare debeo, ecquid scias qua illic conditione sint professores? Stipendium habent, sive tu honorarium mavis, non nisi quingentorum florenorum nostratis monetae. Nam quod Henninio duplum datur, id factum fuit propter duplicem spartam, quam exornare debet; est enim Medicinae quoque doctor publicus. Isne tibi bolus tam opimus videtur, ut propter eum stationem relinquas, hodie quidem parum frugiferam, sed non destitutam (ut puto) firma spe commodi luculentioris? Sed tu ista melius videbis. Ego quidem rebus tuis numquam deero, si quid me ad res tuas vel consilio vel solertia promovendas conferre posse credideris. Cura ut recte valeas, mi carissime Hesseli, et me, quod facis, amare perge.

Amstelod. in eremo suburbano. 7 August. 1704.

CXXXII [2]).

Ezechieli Spanhemio [3])
Janus Broukhusius.

Haereo, ita vivam, Excellentissime Vir, neque satis

[1]) Vide ad Epist. 34.
[2]) In Bibliotheca Lugdunensi.
[3]) De Spanhemio vide ad Epist. 82.

video unde initium capere debeam ad Te scribendi, et Tibi gratias agendi, quoties considero doni istius Tui amplitudinem. Quod rem literariam atque antiquariam augere voluisti atque exornare luculentissimis fructibus vigiliarum ac lucubrationum Tuarum, in eo facis quod jam diu fecisti, hoc est, nullo non tempore de studiis artium pulcerrimarum praeclarissime mereris. Quod autem me quoque dignum habueris, quem trans mare misso aeterni operis exemplari cohonestares [1]), quum ego necdum pro Orbe Tuo Romano [2]), libro eruditionis antiquae plenissimo, debitas gratias egissem, ita me premi sentio beneficiorum tuorum magnitudine, ut non putem me umquam, non dico solvendo parem fore, sed vix adeo cognoscendo quantum debeam animi Tui bonitati. Nam quis ego sum, aut qualis, quem Tu in aliquo numero amicorum Tuorum censere ultro digneris? Te tamen non piguit in illustri isto eruditionis atque ingenii Tui monumento, verbis perquam honorificis, praeclare sentire de meis qualibuscumque curis Propertio inpensis. Certe si aliqua nominis mei memoria ad posteros est ventura, (id quod ego numquam ausus fui sperare) a Tuo mihi testimonio ventura est, licebitque imagini meae inscribi, SPANHEMIVS FACIEBAT. Magna mihi necessitas imposita est naviter agendi, ne fallam Tuum de me judicium. Quod utinam implere possim! Adnitor quidem certe, quantum licet per valetudinem, saepe minus firmam ac fidelem.

---

[1]) A. 1706 Londinii tertium prodierunt Spanhemii *Dissertationes de praestantia et usu numismatum antiquorum.*

[2]) *Orbis Romanus, seu ad constitutionem imp. Antonini exercitationes duae*, prodiit a. 1697; a. 1704 iterum prelo fuit mandatus.

Quae ratio fecit, cur lentius progrederetur meus in Tibullum conatus. Nunc tamen per Dei O. M. clementiam haud ita procul absumus a meta, non moraturi typographum simul atque ultimam manum receperit nostra commentatiuncula. Tamen nihil admodum rei praeclarae polliceor, nisi quod arbitrer me certis ex Historia Romana argumentis ostendisse, Tibullum non esse natum eo anno, *Quum cecidit fato consul uterque pari* [1]), sed vicenis facile annis priorem fuisse. Praeiverat ante saeculum, et quod excurrit, Douza [2]) noster, sed ille in re clara nullos invenit sectatores, ne Gerardum quidem Vossium, hominem subacti in his rebus judicii. Tamen nisi calculum ita ponamus, induimus nos in errorum laqueos nulla arte chronologica dissolvendos. Deus Te, Vir Excellentissime, in viridi ista et vegeta senectute clementissime conservet ac tueatur, bono publico artium bonarum, immensum Tibi jam nunc debentium, atque amplius etiam debere cupientium! Tu vero me, si mereri videbor, benevolentia Tua atque amore complecti ac fovere perge.

Amstelod. in hortis suburbanis, XIII. August. MDCCVI.

CXXXIII.

Francisco Hesselio Janus Broukhusius.

Literas tuas, mi Hesseli, reddidit mihi Wetstenius noster, una cum Oda, bona (ita vivam) atque elegante.

---

1) III, 5, vs. 18.

2) Janus Dousa (1545—1604), Nordovix, litteris operam dedit Lovanii atque Duaci, fuit curator Academiae Lugdunensis atque curiae Hollandiae ascriptus. Vir eruditissimus multa edidit opera. A. 1582 prodierunt Antwerpiae *Praecidanea pro Aulo Albio Tibullo*.

Fecisti id, quod ego a pluribus fieri velim, et quod facere satis est difficile; cavisti ne te transversum raperet materia laetissima, atque ipsa argumenti ubertas; neque, dum humum vitas, nubes et inania captavisti. Nihil me, ut nosti, in isto scribendi genere pejus offendit, quam loquacitas cum tumore conjuncta. Tu vero utrumque feliciter evitasti. Et tamen censuram meam exposcis. En morem gero, magis quidem ut amicitiae satisfaciam, quam ut meo ipse animo obsequar, satis aversus a gente Aristarchorum. Tu scripsisti:

nunc agor ad Tagi
Vmbras virentes glareamque:
Nunc ad aquas celeri Iberi.

Ego sic cogitabam:

Nunc agor ad Tagi
Vmbras odoras, glareamque
Auriferam, celeremque Iberum.

Deinde, *In arduis, ut aurum in igne:* non placet creticus in sede secunda. Equidem haud nescio ipsum Alcaeum, hujus carminis inventorem, aliter sensisse, et recentiorum plurimos idem sibi indulsisse. Sed me movet Horatii auctoritas, ne semel quidem hoc ausi in tanto numero odarum. Et tamen ille quin Alcaeum notiorem habuerit ac perspectiorem, quam nos seri nepotes, dubitari omnino nequit. Quid igitur? Emendavit Cretici debilitatem firmo ac stabili Molosso. Id et nos sequamur oportet: videmus enim secutos esse omnes antiquos. — Sequitur paullo post:

Vbique specto terga fugae dari
A foederatis perduelles.

Aut tu hic aliquid omisisti, aut ego rem non capio. Deinde *foederatorum* vocem scito olim in Francio acriter fuisse reprehensam a censore Leidensi [1]). Ego

[1]) Perizonium dicit.

sane *foederatos* non inepte dici puto, qui foedere inter se junguntur. Sed Romanis moribus aliter fuit. Itaque tutius *socios* dicemus, et *arma socialia.* In sequentibus *deserere oppidûm* non intelligo. Nisi fortasse nota genitivi contracti per incogitantiam huc influxit. Paucula quaedam alia ad marginem notavi, rei haud sane magnae. Sed tu haec ita accipies, ut ab animo sincero profecta, nec quidquam aliud quaerente nisi tuum commodum. Vale mi Hesseli, una cum nostro Clotio [1]), quem verbis meis peramanter salutabis.

Amstelod. in eremo suburbano. 3 Decemb. 1706.

CXXXIV [2]).

Gisberto Cupero [3])

Janus Broukhusius.

Tibullum [4]) ad Te mitto, Vir Amplissime, labore

---

[1]) Fortasse Jean Jacques Claude (1684—1712), Haganus, qui Traiecti operam dedit litteris atque theologiae. Pastor fuit ecclesiae Daventriae et Londinii. Opuscula quaedam philologica in lucem emisit.

[2]) In Bibliotheca Regia Hagana. Post inscriptionem nominis leguntur verba: „het kleynere exempl. is voor d. Hr. Moonen."

Vir Doct. J. Tideman non tantum maxima comitate huius atque sequentis epistolae exemplar mihi praebuit, sed etiam in aliis meis investigationibus vitae Broukhusianae magno mihi fuit auxilio.

Arnoldus Moonen (1644—1711), Zwollanus, operam dedit litteris et theologiae in Academia Groningana; pastor ecclesiastes fuit in oppidulo Hardenberg atque Daventriae. Poëmata Belgica, opera theologica et Grammaticam Belgicam edidit. B. Monenii carmina versibus celebravit (*Poem.*, pag. 24).

[3]) De Cupero vide ad Epist. CXXIII.

[4]) *Albii Tibulli Equitis Rom. quae exstant, Ad fidem veterum membranarum sedulo castigata. Accedunt Notae, cum Variar. Lectionum Libello, et terni Indices: quorum primus Omnes Voces Tibullianas complectitur. . . . Amstelaedami Ex Officina Wetsteniana.* MDCCVIII.

meo paullo quam antea fuit nitidiorem, atque a scriptorum codicum fideli ope mendis minus multis inquinatum. Nam ut omnia a me perpurgata esse credam, non sinit humanae conditionis imbecillitas, neque meae valetudinis ratio, per quam saepenumero factum fuit, ut in medio cursu subsistendum mihi senserim ac strigandum. Data tamen est opera haud indiligens, ne quid praetermitteretur, quod facere posset ad lucem optimi poëtae, et, si ita loqui licet, Romanissimi. Quantum autem praestiterit mea hic industria, Tu, Vir Amplissime, unus omnium optime statues, Tu, inquam, qui quum omnium disciplinarum spatia cum laude sis emensus, neque in his nostris literis ignores quidquam, suum cuique rei precium ponere cum summa aequitate jam olim didicisti. Itaque Tuo ego arbitrio vel stare vel cadere volo, unice securus quid de me judicent minorum gentium Aristarchi. Deus O. M. Te, Vir Amplissime, quam clementissime incolumem velit ac sospitem, non studiorum minus bono communi, quam reipnblicae!

Scribebam aeger, ac longo malo tantum non penitus fractus, Amstelod. in eremo suburbano, 21 Augusti 1707 [1]).

CXXXV [2]).

Jano Broukhusio
Gisb. Cuperus.

Eruditum inprimis munus tuum accepi, et illi evolvendo, quantum temporis occupationi meae surripere potui, impendi. Video non absque singulari, imo

---

[1]) Est haec postrema quam vidi Broukhusii epistola. Obiit d. XV Decemb. eius anni.

[2]) In Bibliotheca Regia Hagana.

plurima cum voluptate, te tam doctas et tam castas manus admovisse culto et docto Tibullo, uti eum appellare solet non minimi etiam nominis Poëta Ovidius.

Multum tibi certe debet Respublica Literaria, quod post Propertium et Tibullum illustraveris, et tot locis obscuris atque foedatis ingentem lucem de lumine tuo accenderis. Illa, si sapit, pro incolumitate et salute tua vota facere deberet, uti etiam Catullum, licet ab Isaaco Vossio, viro insigni, pulchre illustratum [1]), aliosque poëtas comptos et politos nobis exhibere velis. Neque enim quenquam aptiorem illi curae esse persuasissimum habeo, quam eum, qui non modo probe cum Musis rationem deduxit, sed qui insuper omnes poëtas cum summa animi attentione legit et ipse praeterea labro proluit fonte caballino et in fastigium Heliconis escendit. Quae omnia cum in te, vir eximie, animadvertam recondita esse, quid aliud facere possum, quam tibi optare restitutionem in locum, unde vi morbi diuturni dejectus es? Didici enim summo cum dolore non modo ex amicis literis tuis, sed etiam cum mense Junio Amstelaedami essem, te aegrotare, et dolebam me propterea frui non posse erudito atque jucundo tuo colloquio, id quod alio tamen tempore futurum spero equidem vehementer.

Gratias autem dignas ago tibi, quod mei memor vivas, et quod mihi miseris Tibullum dono tam egregie cultum et ornatum, quodque mei plus quam semel tam honorificam facias mentionem [2]).

Illud autem mihi arridet valde, quod perfectissimum in forma operis sui, ut eum non immerito laudat Vellejus [3]), poëtam illustraveris variis marmoribus anaglyptis statuis

---

[1]) A. 1684 Isaacus Vossius edidit Catullum.
[2]) Pag. 226, 380.
[3]) II, 36, 3.

et nummis, atque adeo mecum eadem sentias de *Sirenibus* [1]). Egi enim de ys monstris olim cum viro non inerudito pluribus literis, statuique tecum veram earum formam cerni in nummo Plaetorii, et humani aliquid pati omnes eos, qui Sirenas vel in pisces desinere, vel toto corpore, excepto vultu, aves esse contendunt, eaque occasione variorum doctorum lapsus notavi; quanquam enim omnia, quae de Sirenibus traduntur, optima fide ficta sunt, tamen puto marmora explicanda esse, ut conveniant autoribus, qui notis figuras descripserunt, quod si qui sequi nolit, nova utique monstra pariet Anaglyphum, cujus mentionem facit Bern. de Montfaucon [2]), eruditus valde Benedictinae Familiae Monachus; editum credo esse e schedis Pighianis a Laurentio Beg ero [3]) in Dissertatione, quam publicavit anno 1703, *De Vlysse Sirenes praetervecto;* et inde apparet, earum forman talem esse, qualem nos ambo judicamus Sirenibus fuisse, et quali in nummo Gentis Petroniae illae pinguntur, unaque earum duas tibias inflat, altera voce, tertia cithara canit. Et vir egregie doctus ibi et aliud marmor ex Fabretto [4]), qui illud edidit in libro de Columna Trajani, in medium affert, in quo Sirenes non aliter representantur, nisi quod insuper vestitae, et inferiorem corporis partem maxime tectae sint.

---

[1]) Pag. 361, sqq.

[2]) Bernard de Montfaucon (1655—1741), e gente nobili Gallica, et miles et monachus fuit. Vir peritissimus linguae Graecae atque Latinae multos scripsit libros.

[3]) Laurentius Beger (1653—1705), Germanus, praefuit Bibliothecae Palatinae, quae Heidelbergae est. Multa edidit opera de re nummaria.

[4]) Raphael Fabretti (1618—1700), Italus, peritissimus fuit antiquitatis. Eius liber *de Columna Trajana* prodiit a. 1683 Romae.

Pulchra sunt profecto, quae de *Baccho* et *Osiride*, quem unum idemque deum faciebat vana superstitio, observas [1]; cumque numen illud laetum et hilare faciat Tibullus, saepe mecum et antea perpendi, qui *luctum* vel *vultum* potius Osiridi tribuat, quae ambo certe rigiditum et torvum quid inesse Baccho significant.

Non tibi sunt tristes curae, non vultus Osiri [2]),

nisi poëta alloquatur Bacchum vel Osirim illique nec tristes curas esse, nec tristem vultum vel σκυθρωπὸν canat, et ita obscuritatis vitandae causa, distingui versus ille, si quid video, deberet, *nec vultus Osiri.*

Constat ceteroquin Osirim diis inferis fuisse accensitum, et morositatem, atque tristitiam ab eo nequaquam abfuisse, quam in rem mihi non inelegantia notata sunt.

Mais les Dieux du paganisme sont à deux mains, et ita Osiris Baccho assimilatus laetus et hilaris describitur, Plutoni vero vultuosus et truculentus.

Vides hinc, vir praestantissime, me jam haud perfunctorie Tibullum tuum legisse; eumque totum evolvere constitui simul ac a negotiis liber ero. Meam autem hanc libertatem aequi te bonique facturum spero, et certior sis, me benevolentiae tuae et humanitatis singularis perpetuam servaturum memoriam.

Alterum exemplar Monenio tradidi, qui tibi significabit procul dubio, se illud a me accepisse.

Vale etiam atque etiam. Davent. 29 Aug. 1707.

---

1) Pag. 151.
2) I, 7, vs. 43.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 12. Broukhusius a. 1684 Belgico sermone carmen funebre in Antonidem composuit (cf. *Gedichten*, pag. 51).

Pag. 22. Significatur fortasse Alexander Wilthemius, a. 1604 natus Luciliburgi, e societate Jesu. Edidit ille Leodii libros nonnullos de archaeologia; eius *Ad Diptycha Leodiensia* . . . . . *Adnotationes* prodierunt a. 1677.

Pag. 29. Epigramma ad Servatium legimus in codice manu scripto carminum Broukhusii, qui in Bibliotheca Regia Hagana conservatur. Peerlkampius (l.l., pag. 465) asseverat ea carmina edita esse in Appendice, quem in vulgatis Broukhusianorum Poematum editionibus non reperias. Mihi tamen non contigit ex ulla bibliotheca publica exemplum depromere, cui appendix ille fuerit adiectus. De codice manu scripto, olim Hoeufftiano, alio loco agam.

Pag. 34. Fuit haec postrema epistola, quam Heinsius dedit ad Broukhusium. Apparet enim ex indice epistolarum a Heinsio ab anno 1668 ad d. XXIX Aug. 1681 scriptarum, eum tres tantum litteras poëtae nostro dedisse, quae hic prelo sunt mandatae. Indicem illum manu Heinsii scriptum reperias in Bibliotheca Lugdunensi (Vide: Catalogum Viri Clar. Geel, no. 983).

Pag. 45. Carminibus quibus Broukhusius Franciusque orationem Graevianam celebraverunt, acerrima rixa litteraria orta est. Vide et Broukhusii *Poemata*, pag. 337, et Santenii *Deliciae poëticae*, 1796, pag. 386, sqq.

Pag. 46. Constantinus Hugenius (1596—1687), natus

Hagae Comitum, Principibus Auriacis Frederico Henrico et Gulielmo II fuit a secretis. Carmina Latina atque Belgica edidit. Obiit d. XXVI Martii eius anni.

Pag. 55. Joannes Huydekooper Marsevenius, filius, ni fallor, consulis Amstelaedamensis eiusdem nominis, ab anno 1675 fuit urbi Amstelaedamo a secretis. Amicus erat Broukhusii (cf. *Poem.*, pag. 8, 106, 261), qui ei a. 1684 *Poemata* sua dedicavit, et d. III Junii 1703 carmen funebre in illum composuit (l.l., pag. 14).

Pag. 66. Henninius sibi gloriam vindicavit libelli Rapini Latine versi a Broukhusio a. 1684 (cf. *Petri Francii Epistola tertia ad C. Valerium Accinctum* . . . . . *Amstel.* . . . . 1696, pag. 33).

Pag. 111. Cum Perizonius Franciusque se invicem obiurgarent, Broukhusius invasit Gronovium libello faceto, cui titulus: *Rutgeri Hermannidae J. U. D. Justissima ad Publicum Querela* . . . . *Anno* 1696. De illo libro alias uberius agam.

Peccata, quae vel operarum vel mea ipsius incuria irrepserunt [1], lector benevolus mihi condonet.

---

[1]) Animadverti haec:

Pag. 9,	lin. 32	*Aeonius*	lege	*Aonius.*
„ 11,	„ 29	*sint*	„	*sunt.*
„ 57,	„ 26	*Gulielmo I*	„	*Frederico Gulielmo 1.*
„ „	„ 28	*Basiliae*	„	*Basileae.*

Nomina illorum a quibus Epistolae sunt scriptae.

Nomina illorum, qui in Broukhusii Epistolis commemorantur.

[1]) Numeri paginas notant; numeri pingues, ut dicunt, locum indicant, quo vita virorum doctorum narrata est; numeri cursivi ad notas et ad praefationem spectant.